Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 107 - Tom. I

Cartier, Gallus

[S.l.], 1745

Pars secunda

urn:nbn:de:bsz:31-111007

Visual Library

Pars Secunda. 171 ~~170~~. ~~171~~
De Singulis S. Scripturæ libris. 161

Jam supra part. 1. c. 1. diximus S. Scripturæ libros alios esse Legales, Historicos alios, alios Sapientiales, denique Propheticos alios.

De his singulis eâ ratione agemus, ut ordine, quo in S. Scripturâ continentur, insuper habitô, Legales Legalibus, Historicos Historicis, Sapientiales Sapientialibus, et denique Propheticos Propheticis jungamus. Et quoniam horum Sacrorum Codicum alii sunt Veteris Testamenti, alii verò Novi, hinc, ut distinctim omnia fluant, partem hanc secundam in binas Sectiones distinguemus, in quarum primâ de Singulis Veteris Testamenti libris tractabimus; in secundâ verò Novæ Legis libros expendemus. Sit igitur

Sectio Prima. 162
De Singulis Veteris Testamenti Libris.

Hujus Sectionis quatuor erunt Capita junta jam assignatam librorum ipsorum varietatem.

Caput Primum.
De libris Legalibus Veteris Testamenti. ~~163~~.

Libros Legales Veteris Testamenti, quibus videlicet divina leges comprehenduntur, esse quinque Moysis libros, genesim videlicet, Exodum, Leviticum, Numeros, et Deuteronomium, jam supra memoravimus*. Unicô nomine Pentateuchus nuncupantur, quod nomen è græcô latinè redditum quinque volumina sonat.

Horum Voluminum Auctorem ~~164~~.

* part. 1. c. 1.

e * part. 1. c. 2.

172 ~~176.~~ esse Moysem, jam alibi demonstravimus*, ubi de veritate, et integritate librorum sacrorum egimus.

Et profectò vel viderunt, omnium, quotquot post Moysem extiterunt Scriptorum autoritas, qui unanimi consensu illum horum librorum autorem esse deprædicant. Judæorum quoque Synagoga, Christus etiam et Apostoli, Universáque Christiana Ecclesia eosdem Moysi semper adscripserunt. Ergo non audiendi sunt illi, qui libros hos Moysis esse in dubium vocare velle videntur, sed potiùs, cùm demonstrativis, et evidentibus argumentis destituantur rejiciendi sunt, ut qui vanis, ac inanibus argumentationibus Moysem possessione trium millium, et quod excurrit, annorum deturbare conentur.

163. En tamen præcipua illorum argumenta, quibus singulis singulas atteximus responsiones.

~~163.~~ Ajunt ergo 1° ideò videri Pentateuchum Moysi falsò adscribi, quòd in eo multa contineantur, quæ Moysis temporibus fuêre posteriora: ut 1° mors ipsius, quæ legitur Deuter. Ult.

Resp. Verba hæc postmodùm addita fuisse ad complendam Moysis historiam vel à Josue, vel ab Esdra, prout contendit Bellarminus, cùm post reditum à Captivitate Babylonicâ sacros libros collegit, et descripsit.

164. 2° Genes. 12. v. 6. hæc habet textus: Chananæus autem tunc erat in terrâ, promissionis videlicet. At qui hoc dici non potuit nisi ab eo, qui Chananæos ex Palestinâ pulsos vidisset, quam expulsionem, ut potè Moysis

morte posteriorem, ipse videre non potuit. Ergo &c. 173. ~~167~~

Resp. neg. min. Id enim etiam ab eo dici potuit, quamvis Chananæos ex Palestinâ pulsos non viderit; sensus quippe est, jam tempore Abraha Chananæos habitasse terram promissionis, quod utique ipse scribere poterat.

3°. Genes. c. 36. v. 31. numerantur octo Reges, qui ab Esau regnarunt in terrâ Edom, cùm tamen quatuor tantùm intercesserint generationes ab Esau usque ad Moysem. Addunturinsuper hæc verba: Antequam haberent Regem filii Israël. Atqui hæc affirmari non potuerunt, nisi ab eo, qui deinceps vidisset Reges Israël, at verò longè post Moysem tempore Israëlitæ primùm Reges habere coeperunt. Ergo &c. 165

Resp. Octo Reges, qui loc. cit. numerantur, paternâ successione non sibi fuisse substitutos, sed vel usurpatione, vel electione: ex ipsius quoque Moysis narratione constat, Duces, seu Reges Idumæorum non successivè, sed alios et alios diversis in locis simul regnasse; unde nihil officit, quominùs ab Esau usque ad Moysem quatuor tantùm fuerint generationes. 164.

Ad textum, qui subjungitur, respondent aliqui, Moysi per Dei revelationem innotuisse, Judæos habituros deinceps Reges, ut constat Deut. c. 17. v. 14. Alii verò ajunt, id postmodum ipsius libro majoris claritatis gratiâ deinceps fuisse additum, fortè ab Esdra, qui libros Moysis restauravit.

174. ~~178.~~ 4.to Deut. 2. v. 14. dicuntur filii
166. Esau habitasse in Seir, expulsis, et delectis Horrhais, Sunt, inquit textus, Sedit Israël in terrâ possessionis suæ, quam dedit illi Dominus. Atqui verò filii Israël nonnisi post Moysis obitum habitare coeperunt terram possessionis suæ. Ergo p.

Resp. Deletionem illam populorum à filiis Israël factam vel intelligendam esse de populis trans Jordanem habitantibus, quorum regiones, illis deletis, divisa ab ipso Moyse fuerunt Tribubus Ruben, et Gad. Vel si de omni terrâ possessionis ibi sermo est, id à Moyse prophetico Spiritu dictum, vel ab Esdrâ, qui libros Moysis restituit, hic additum fuisse.

167. 5.o Exodi 16. designatur tempus, quo filii Israël desierunt manducare Manna. Atqui id nonnisi post mortem Moysis factum est. Ergo p.

Resp. Noverat Moyses filios Israël quadraginta annis in deserto peregrinaturos; potuit ergo manducationis mannæ tempus designare. Diu etiam potest, hoc ab Esdrâ, vel alio claritatis gratiâ textui fuisse additum.

168. 6.o Deut. 1. sic habet textus: Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israël trans Jordanem. Atqui hoc falsum esse videtur; enimverò mortuo jam Moyse primum Israëlitæ Jordanem transierunt. Ergo p.

Resp. Vocabulum Trans, ut ex hebraeo fonte Beheber perhibetur, hic tantùm significat in transitu; Sensus ergo est, Locutum fuisse Moysem verba hæc ad

filios Israël, cùm essent brevi Jordanem 175.
~~179.~~
transituri, quod post unius circiter mensis spatium factum est: Unâ enim eâdemque voce Heber utuntur Hebræi ad significandum cis, et trans, eâque diversum illum situm exprimunt; unde videtur fortè hic error esse penes Interpretem, qui locò cis transtulit trans.

7º Deut. c. 3. Jaïr dicitur nomine 169.
suò insignivisse urbes sorte sibi concessas, additque textus: eas nomen idem servasse usque in præsentem diem. Atqui hoc innuere videtur longum post has urbium divisiones tempus, adeoque mortuò jam Moyse. Ergo &c.

Resp. vel verba hæc: usque in præsentem diem addita fuerunt textui, et à margine in eum transmissa; vel scribentus est Moyses, quia è ipsâ jam tempus aliquod effluxerat à divisione terræ ad illud, quo Moyses librum suum scripsit.

8vo Multa Urbes, et Regiones 170.
in libro Genesis iis nominibus appellantur, quæ ipsæ nonnisi post Moysis tempora adeptæ sunt: ut 1º Ninive Genes. c. 10. Cùm tamen primùm Deboræ temporibus dicatur vivisse Ninus, à quo ~~urbs~~ Urbs ista nomen suum accepit. 2º Ibid. c. 11. v. 28. et 31. Ur jam dicitur Chaldæorum, cùm tamen nomen istud nondum fuerit in usu tempore Abrahæ. 3º Ibid. c. 4. dicitur Abraham persecutus Reges debellatos usque Dan: at urbs ista primùm à Tribu Dan nomen hoc accepit, ut habetur Judic. 18. 4º Mons Moria, Dominus videt, jam c. 22. v. 14. nuncupatur, cùm tamen nomen istud non videatur accepisse, nisi post extructum in eo Templum, quod Moyse posterius fuit. 5º c. 34. v. 14. fit

Prima L. pag. 81

mentio Valles Hebron, quod nomen ab Hebrone Calebi filio primùm post Moysis obitum accepit. 6.° c. 40. v. 15. Joseph se de terra Hebræorum furtò sublatum dicit, cùm tamen eo tempore regio illa, è quâ sublatum sequeritur Joseph, terra Chanaan fuerit, quæ nonnisi postquam Hebræi Jordanem transivissent, adeoque post Moysis mortem, ad eos pervenerit. 7.° c. 35. v. 21. Turris Eder seu gregis commemoratur, cùm tamen primùm post ædificatam urbem Jerusalem ita fuerit munupata, cujus nempe porta erat.

Resp. 1.° vel falsum esse, Urbes, et Regiones illas, de quibus in libris Moysis fit mentio, ea nomina, quibus ibidem appellantur, primùm post ipsius tempora fuisse adeptas; neque hujus ratio sufficiens ab adversariis affari potest. Vel dicimus, ea nomina deinceps iis libris fuisse inserta locò veterum, quibus anteà vocabantur, ut videlicet clarior narrationis contextus evaderet: cùm enim ~~forsan~~ alia fortè, quàm prius haberent, nomina post Moysis tempora acepissent, non potuisset non obscurissima fieri historia, quæ antiqua et legentibus ignota referret urbium nomina. Nostrò igitur etiammum judiciò nonnulla in hisce Moysis libris occurrunt alienâ manu addita, quibus cùm apertior et clarior efficiatur sermo, neuon pristinus textus omnino servetur. Quis proindè hæc sufficere aperet, ut Pentateuchus Moysi abjudicetur?

Resp. 2.° ad singula. Ad 1.mum Incertum est, Nimrum vixisse primùm Deboræ temporibus; multi enim probabilius censent, eum Abrahæ contemporaneum fuisse: mirum igitur esse non debet, si Moyses nomen urbis proferat, quod eidem multò ante

sua tempora inditum fuerat, et quibus sub eô nomine hæc Urbs nota erat. 177. ~~181.~~

Ad 2dum Quòd istud, ac prius inestum maneat, num videlicet adhuc tempore Abrahæ Chaldæorum nomen ignotum fuerit. Sed quidquid sit, illud certò constat, nomen hoc jam Moysis tempore ipse receptum fuisse, quod et ipse ad libuit, ut nempè ipsius narratio facilius intelligeretur.

Ad 3tium falsum est, nomen Dan suisse tempore Moysis incognitum: ut enim autor est S. Hieronymus, Jordanis ipse à voibus Dan, et Jor dictus est.

Ad 4tum falsum quoque est, montem Moria sic dictum fuisse primùm post Templum extructum, sed ita appellatus fuit post responsum ab Abrahamô datum filiô de victima holocausti quærenti; quod nomen usque ad Moysis ætatem perseveravit.

Ad 5tum dicimus, vel jam tempore Moysis extitisse urbem, quæ Hebron dicebatur, cùm prius vocata fuisset Cariatharbe: vel nomen istud fuisse deinceps additum ad designandam urbem, quæ aliàs antiquô notata nomine huô haud satis dignosci potuisset.

Ad 6tum Per terram Hebræorum è qua sublatum se queritur Joseph, intelligitur regio, quam tunc Hebræi, Jacob scilicet, et filii ejus incolebant. 2da pag 82.

Ad 7mum Per turrim Eder hic non intelligitur porta aliqua Urbis Jerusalem, sed, prout observat S. Hieronymus, locus quidam propè Bethleem.

Ob. 9no In istis libris immodicè in Moysem ipsum congeruntur laudes, ut qui dicatur mitissimus hominum, Num. 12. Homo Dei, Deut. 33. Quòd non surexe- 171.

~~181~~ rit Propheta, ut Moyses in Israël, Ibid. c. ult. et alia hujusmodi; quæ Moyses, si eos libros scripsisset, de se ipso cloquutus utique non fuisset. Ergo &c.

Resp. Modicas omninò esse laudes illas, quas sibi in suis libris tribuere videtur Moyses; nec etiam è contrariò vereatur, sua enarrare vitia: cùm autem se ipsum leviter duntaxat commendare videtur, id ejus veracitati potiùs, et candido animo, peculiariqué Spiritûs Sancti afflatui, necnon speciali divino præcepto tribuendum est, quàm inani jactantiæ. Quod si hæc responsio Adversariis non sufficiat, dicemus, hæc pauca libris Moysis simul cum obitûs illius narratione fuisse adjecta in illius perpetuam laudem, et commendationem.

172. Objicit 10mo Richardus Simon*, hasce conjecturas*: quòd in Pentateuchò Stylus sit varius; eadem frequentius repetantur; perturbata plerumque se prodat narratio ortè fortè ex foliorum, quibus res gestæ exaratæ continebantur, inversò ordine. Ex quibus, ut et aliis, quas præmisimus, objectionibus concludit, hos quinque Moysis libros esse Notariorum publicorum Opus, qui omnia Hebræorum gesta primùm in Commentaria, ac deinde in librum justò compendiò exaratum redegerint; qui quidem Moysis Pentateuchus dicatur, quòd sub ejus regimine gesta ita collecta fuerint.

F * Hist. critique du Vieux Testament. c. i.

Resp. Conjecturas illas non præponderare rationibus, et auctoritatibus, quibus alii eruditi demonstrant, hos libros Moysis Opus esse. Quod Styli diversitatem spectat, repeti illa debet ex rerum et temporum, quibus Moyses scripsit, varietate. Repetitiones autem in illis fuerunt necessaria ad pleniorem earum rerum, quas continebant, intelligentiam. Nec denique

inversum ordinem esse foliorum in Pentateuchô aliis bene multis visum est; frustra proinde conjicit Simonius, ex perturbatô foliorum, seu Schedularum ~~ordine~~, in quibus scriptitari solebat, ordine, ortas esse, quæ ipse in Pentateuchô deprehendere sibi videtur, transpositiones, et confusiones; nam antiqui Schedas, seu folia, in quibus scribebant, non seùs ac nos, in ordinem componebant, et extremâ sui parte altrinsecùs connebant, neuon in longum ita disponebant, ut in volumen contrahi possent; nec minor ab illis, quàm nunc à nobis fit, in suis scriptionibus ordinis ratio labebatur; et si fortè quædam in iis perturbatio accideret, tam facilè eas in ordinem reducebant, ac nunc fit, ubi nostri compinguntur libri. 179.

Sed esto, res in Pentateuchô sine ordine esse descriptas, quid mirum? cùm ab Autore simpliciter, et sine fucô, vel verborum ornatu res, prout gestæ sunt, narrentur. Quin potiùs exinde rectè ac cum veritate arguimus, Pentateuchum autorem habere ipsum Moysem, qui, utpotè vir simplicissimus, politiori stylô, et oratione se ipsum commendare haud gestierit. Dicendum ergo istud Simonii systema meris niti conjecturis, et possibilitatibus, quas fortè admittere possemus, si contrarium aliundè nobis non innotesceret.

Igitur Moyses filius Amrami, et Jacobed amborum ex Tribu Levi in Ægyptô anno mundi 2433. ante Christi æram vulgarem 1570. natus, Pentateuchum scripsit eâ quidem ætate, qua veri, et unius Dei nomen nonnisi solis fermè Judæis notum erat, dum cæteri mortales profundis Dei et veræ Religionis ignorantiæ tenebris, 173.

3tia pag. 83.

~~173.~~ necnon universali corruptione erant involuti.

Ipsimet Hebræi, quorum gratiâ Moyses Scribebat, rudes erant, et indociles, summáque ipsis ad idololatriam erat propensio. Diu quippe inter corrupta, et idololatra Nationis parietes enutriti, duris laboribus, longáque Servitute oppressi, ad ferarum pòrè conditionem redacti fuerant; Majorúmque Suorum Religionem fermè oblíti, eam sectabantur, quæ tum in Ægyptô dominabatur, atque corruptis hominum moribus magis accommodata videbatur. Hæc nobis attentè consideranda sunt, si probè Moysis mentem assequi cupiamus. Debuit ille populi hujus ruditati, et præjudiciis aliquantum deferre; quæ illius educationi deerant, supplere; factas Majoribus promissiones in mentem revocare; Avorum nobilitatem ob oculos ponere; improbum, ~~[illegible]~~ et ad malum proclivem illius genium refrenare: Ad Moysis consilium fuit, ad quod omnia referuntur, quæ in Pentateuchô leguntur. Modò singulos illius libros expendimus.

De Libro Genesis.

174. Liber iste à deductâ Patriarcharum ab Adam usque ad Jacobi nepotes Genealogiâ Genesis seu generationis nomen accepit. Hebræis inscribitur Bereschit, quod vocabulum istud in Hebræô textu sit primum.

175. Quinquaginta Capitibus 2369. annorum Historiam complectitur, ab exordiô scilicet mundi, usque ad Patriarchæ Josephi obitum; potérsque secundùm varias temporum, quæ percurrit, epochas in tres partes dividi; in quarum primâ à cap. 1. usque ad 7. ea continentur, quæ

in primâ mundi ætate contigerunt, ab Adamô videlicet usque ad Diluvium*; vt creatio mundi, et hominis sex diebus completa. Lapsus Protoparentum. Eorum pœna. Propagatio generis humani per Adam usque ad Noë. Malitia hominum velut causa diluvii. 181.

g * Prima mundi ætas ab Adamô usque ad Diluvium. ab an. mundi 1. ante Æram Christi vulgarem 4004. usque ad an. mundi 1656. ante Æram. 2347.

Secunda pars à cap. 7. usque ad 12. complectitur ea, quæ in secundâ mundi ætate, à Diluviô nempe usque ad Abrahamum evenerunt*: Extructio videlicet Arcæ à Noë facta. Diluvium, ejúsque cessatio. Pactum Deum inter et Patriarcham Noë. Genealogiâ hominum post Diluvium à filiis Noë, usque ad Abrahamum. Ædificatio turris Babel, et linguarum confusio. 176.

h * Secunda mundi ætas à Diluviô usque ad Abrahamum. ab an. m. 1657. ante Chr. æram, 2347. usque ad an. mundi 2083. ante Chr. 1917. ante Æram 1921.

In tertiâ verò parte à cap. videlicet 12. usque ad 50. comprehenduntur ea, quæ gesta fuerunt in tertiâ mundi ætate, ab Abrahamô nempè usque ad Moysem, seu exitum Israëlitarum ex ~~Ægypto~~ Ægyptô sub Patriarchis Abraham, Isaac, Jacob, et Joseph*; vt sunt divinæ promissiones Abrahæ factæ. Præceptum circumcisionis. Ortus Isaaci. Probatio fidei et obedientiæ Abrahæ in filii sui præceptâ immolatione. Gesta, et facta mysteriis plena Patriarcharum Isaac, Jacob, et Joseph. Genealogia filiorum Jacob, et Esau, p. 177.

i Tertia mundi ætas ab Abrahamô, ejúsque peregrinatione, seu vocatione usque ad Moysem, seu exitum Hebræorum ex Ægyptô; ab an. mun. 2083. ante Christ. 1917. ante Æram 1921. usque ad an. m. 2513. ante Christ. 1487. ante Æram 1491.

Occurrunt in hoc libro quædam, quæ ad imminuendam illius auctoritatem passim objici solent.

1°. Cap. 1. Lux dicitur creata à Deo die primô, et vib. primum quartô die Sol, qui tamen diem constituit, eique lucem præbet. Ergò ante Solem creatum nec lux, nec dies erat, p. 178.

182. ~~180.~~ Resp. neg. argumentum. Lux enim est speciale elementum à Deo statim post coelum, et terram, prout Scriptura exprimit, creatum; posteà etiam creatus est Sol, immensum corpus illud, qui suô motu ità luem premeret, ut apta esset ad hominum postmodùm creandorum oculos sic afficiendos, ut illam, diémque cernere possent; lux enim, nisi oculos feriat, videri haud potest, eos autem ferire non potest nisi ab alio subtili, et ignitô corpore moveatur.*

K * vide, quæ disserimus part. 1. Physicæ nostræ seu in Physicâ universali, c. 5. tit. de Lumine.

2°. Ib. c. 2. v. 2. Hæc leguntur: complevitque Deus die septimô opus suum, quod fecerat. Et tamen priùs, nempe c. 1. vers. ult. dicitur: quòd cùm omnia fecisset Deus, factum sit manè, et vesperè dies sextus. Hæc autem manifestam contradictionem involvunt. Ergo p.

179. Resp. 1.° c. 2. v. 2: locô complevit legendum esse compleverat, sic enim vox Hebræa verti potest.

Resp. 2.° Pentateuchum Samaritanorum, et Versionem Græcam textum idum Gen. 2. v. 2. sic habere: compleveritque Deus die sexto p. Emendandus ergo videtur Vulgata nostra Librariorum error ad normam Pentateuchi Samaritani, et græcæ Versionis.

180. 3°. Ibid. c. 4. v. 15. Cäino timenti, ne propter perpetratum fratricidium à primô occurrente occideretur, promittit Deus, nequaquam ita futurum. Et postea tamen à Lamechô occiditur ibid. v. 23. prout intelligunt Hieronymus, Anselmus, Rabanus, Strabus, Liranus, Petrus Comestor, et alii. Atqui hæc inter se aperte pugnant. Ergo alterutrum falsum est.

Resp. 1º Quidquid Hieronymus et alii dicant, minimè tamen certum est, Caïnum à Lamechô occisum fuisse. fatetur equidem Lamech, se occidisse virum, sed juvenem, at profectò tunc Caïn, utpotè Lamechi Avus, juvenis haud amplùs erat, ac proinde nec vir ille, quem Lamech se occidisse queritur. 183. 187.

Resp. 2º conc. maj. et neg. min. Quia Deus Caïno non prædixerat, eum absolutè, seu prorsùs non occidum ivi, sed solùm non esse futurum, ut occideretur eô modô, quo ipse timebat se occidendum fore, nimirùm à primô occurrente scienter, et ex intentione; et quamvis à Lamechô occisus fuerit, certè non ita occisus fuit, sed ab ipso non cogitante, et intervenandum feram quærente. Prohibuit ergo Deus tantùm, ne palam, et agnitus Caïn occideretur, non autem casu, et non cognitus, et ab eo, qui feram se occidere arbitrabatur.

4to Ibid. c. 4. v. 26. dicitur de Enos, quòd coeperit invocare nomen Domini; at prius, nempe v. 4. dictum est, quòd Abel Deo munera obtulerit, ac proinde ante Enos Deum invocaverit. 181.

Resp. Dum Enos Deum invocare coepisse dicitur, id ita intelligi debet, ut coeperit invocare nomen Domini, non quidem privatim, id enim jam ante ipsum præstiterat Abel, sed publicè, congregando scilicet piorum aliorum hominum coetus ad laudes, et gratiarum actiones Deo persolvendas, certosque præscribendo ritus, quibus religiosius, et solemnius, quàm antea, coleretur Deus.

184. ~~108~~ 5.to Ibid. c. 5. v. 27. Mathusala diu-
182 tur vixisse 969. annos, ac proindè ad finem usque diluvii, cùm tot prouisè effluxerint anni à natô Mathusalâ usque ad Diluvii finem. At postèa c. 6. dicitur in Arâ Noë octo duntaxat personas fuisse, Noë scilicet, Sem, Cham, et Japhet, cum suâ quemque uxore, de Mathusalâ autem omninò siletur.

Resp. Ultimum illius annum non fuisse completum, sed inchoatum duntaxat, atque, prout tradunt Hebraei, septimô ante diluvii initium die illum obiisse. Corrigenda est proinde Septuaginta Interpretum Versio, quæ Mathusalam quatuordecim adhuc post diluvium annis superfuisse perperam memorat, seu supponit.

183. 6.to Genes. 6. v. 3. dicit Deus: Erunt dies hominis 120. anni. Et tamen postèa fuerunt, qui ultra hos annos vitam protenderunt, quos passim Scriptura commemorat.

Resp. Textum non ita esse intelligendum, quasi postèa multi homines ultra 120. annos vitam protenderint; sed circa hoc tempus, nempe post 120. annos futurum esset diluvium, quo omnes submergendi erant et perituri, prout revera contigit. Poenitentiæ ergo spatium hominibus hic à Deô præfigitur, non vitæ terminus.

184. 7.mo Ibid. v. 6. dicitur de Deô eum poenituisse, quòd hominem fecisset in terrâ, cùm tamen, ut verè de eo dicitur 1. Reg. c. 15. v. 29. Homo non sit, ut agat poenitentiam.

Resp. Citatum Genes. c. 6. v. 6. textum, qui dicit Deum poenituisse &c. non

ad litteram, sed metaphoricè sumendum, 185.
et intelligendum esse. Loquitur enim Scrip- 185
tura more humanô, inquit S. Augustinus, un- l
de cùm Deum poenitere dicit, non secundùm lib. 15. de civ. c. 7.
affectum, sed effectum intelligi debet; non
enim more poenitentium, priorem revo-
cat affectum, sed retractat ea, quæ fecit, et
retractanda decreverat in tali temporis cir-
cumstantiâ.

8vo Jb. c. 11. v. 26. dicitur Thare 185
70. annos natus genuisse Abrahamum,
mortúusque esse annô ætatis Abrahami
75. totidem enim annorum erat Abraham,
cùm mortuô patre de Haran egressus est,
prout habetur Jb. c. 12. v. 4. quos si 70. illis
quos natus fuisse dicitur Thare, cùm Abra-
hamum genuit addamus, efficientur an-
ni vitæ ipsius 145. tantùm. Attamen
eodem c. 11. v. 32. dicitur idem Thare vi-
xisse annos 205.

Resp. 1o Thare Abrahamum genui-
se non 70mô sed 130mô duntaxat vitæ
suæ annô, ideoque, cùm citatô c. 11. v. 26.
dicitur Thare annô ætatis suæ 70mô ge-
nuisse Abraham, Nachor, et Aran; id ita
intelligi debet, ut quidem Thare annô æta-
tis suæ 70mô gignere coeperit, sed non pri-
mò Abrahamum, ~~sed~~ verùm alios ipsius fra-
tres; quòd autem ipse cæteris præponatur,
non arguitur per hoc ejus primogeni-
tura, sed tantùm præ cæteris electio; ne-
que enim rarum est in Scripturâ, ut juni-
ores prioribus anteponantur. Ut quia fortè
hæc responsio quibusdam minùs solida
videri posset, hinc brevius

Resp. 2o versum hunc 32. c. 11.
Geneseos, quo dicitur Thares vixisse 205. an-
nos mendosum esse, atque emendari de-

186. ~~190~~ bere secundum textum Samaritanum, ubi
Genes. 11. v. 3. diserte hæc leguntur: Et fue-
runt dies Thare centum et quadraginta
quinque annorum, postea mortuus est Tha-
re in Haran. Quod vel ex eo colligitur,
quod cum isto Samaritano textu, vulgata
nostra huic versui 32. anteriores et poste-
riores textus, ex quibus patet, Thare 145.
annis duntaxat vixisse, optime congruant.

186. 9no Jb. c. 12. v. 19. Mentitus est
Abraham, dum interrogatus de Sara Uxore
sua, respondit, idam esse suam sororem:
atque etiam eam mentiri voluit v. 13.
dum illi dixit: Dic ergo, obsecro te, quod soror
mea sis. Iterum mentitus est, quan-
do Montem Moab cum filio suo Isaac ibi-
dem immolando conscensurus servis suis di-
xit c. 22. v. 5. Se, et filium suum, postquam
adorassent, ad ipsos esse reversuros.

Resp. 1o transeat, his locis menti-
tum fuisse Abrahamum; non tamen exin-
de sequitur S. Scripturam esse mendacem,
sed potius veracem, cum ea, quæ ad historiæ
veritatem pertinent, fideliter referat, non
quidem ut approbet, sed ut integram histo-
riæ veritatem declaret; verior enim per
hoc apparet sacra historia, quod non omit-
tat, nec taceat, sed sincere, et fideliter
referat tantorum virorum delicta, qua-
lia sunt ea, quæ de Loth, Samsone, Da-
vide, Salomone, et aliis interdum histori-
cè narrat.

Resp. 2o negamus Abrahamum
hic mentitum fuisse. Non, quando dixit
Saram Uxorem esse sororem suam; in hoc
enim veritatem celavit duntaxat, at nul-
lum protulit mendacium; erat quippe
Sara neptis Abrahæ, filia nempe Tha-

6. 86

fratris sui; usus autem invaluerat apud 187.
Hebraeos, ut neptes à patruis seu avunculis
dicerentur sorores, et nepotes fratres; undè
idem Abraham Loth fratris sui filium,
seu nepotem suum vocat fratrem, Genes. 13.
v. 8. Neque etiam idem Abraham
mentitus est, cùm dixit, se cum filio suo
ex monte reversurum, quia certò sibi per-
suasum habebat, aut saltem certò sperabat,
quòd Deus, aut non pateretur Isaacum occidi,
vel occisum, et immolatum suscitaturus esset.
Sciebat enim, Deum fallere non posse, nec
promissis deesse, qui promiserat, ex Isaacò
Christum nasciturum, et posteritatem ejus in-
numerabilem futuram sicut stellas coeli, et
pulverem terrae.

10mo Gen. c. 15. v. 3. praedicitur Abra- 187.
hamo, semen suum peregrinum futurum
in terrâ alienâ, et ibi subjiciendum, et affli-
gendum fore 400. annorum spatiò. At
Exodi c. 12. dicitur, quòd Israëlitae in Aegyp-
tò per 430. annos manserint.

Resp. Scripturam saepiùs minorem
numerum pro majori usurpare, quod et hic
fecit, adeoque prior Genesis textus ita in-
telligendus est, ut ad minimum 400. annis
filii Abrahami peregrini futuri sint in ter-
râ alienâ. Quidam 430. annorum
illorum, de quibus in Exodò fit mentio,
initium sumunt ab eo tempore, quo Abra-
ham 75 tum aetatis suae annum agebat; vo-
lunt autem 400. illos, qui Genes. c. 15. me-
morantur, annos incipiendos esse à natò
primùm Isaacò, cùm nempe Abraham Pa-
ter ejus jam centenarius erat; profectò enim
Isaac, quam primùm natus est, coepit esse
peregrinus in terrâ alienâ, de quo hic est
sermo; atque junta hunc computum

pauci residui erunt anni, quibus 430. anno-
rum illorum numerus compleatur; prout
passim in S. Scripturâ contingit.

188. ij mò Ibid c. 27. v. 19. Mentitus est
Jacob, dum bis interrogatus à Patre suo, num
esset Esau, respondit ita, se Esau esse.

Resp. 1º transeat, eum esse menti-
tum, quid tum? Ergo Sacra Scriptura, quæ
factum istud historicè tantùm memorat, men-
dax quoque est? minimè profectò. Vide que
ad object. 9nam pag. 174. primò loco respon-
dimus.

Resp. 2º neg. hic mentitum fuisse
Jacob, 1º quia duplici titulò primogenitus
dici poterat, jure scilicet emptionis, et
Decretò Dei matri Rebecæ significatò,
quando ei fuit revelatum, aliquando fu-
turum, ut major minori serviturus sit.
Et sic Jacob dicens, se esse Esau, non men-
tiebatur, quia se Esau non in persona, sed
in jure dicebat; sicut Joannes dicitur à
Christo Elias, non quidem in personâ, sed in
Spiritu. 2º Quia licet re ipsâ non
esset Esau, erat tamen, ut ajunt, repræ-
sentativè, enimverò ipsius personam ex-
hibebat, undè sine mendacio potuit di-
cere patri suo, se fuisse id, quod ei præce-
perat, quamvis ei nihil, sed Esau præce-
pisset, 3º.

189. iz mo Mentitus est pariter Jo-
seph, dum Genes. c. 42. v. 9. asserit, fra-
tres suos, quos tamen optimè noverat, esse
exploratores; et Benjamin Scyphum ar-
genteum furtò sustulisse, gen. c. 44 v. 4.

Resp. 1º Si mentitus est Joseph,
id non probat Scriptura, sed tantùm his-
toricè narrat. vid. ob. 9. pag. 174.

Resp. 2º. Hæc ab ipso dicta fuisse,
non juxta propriam, sed secundùm Regis
Ægypti Domesticorum suum degentium

7. 87

opinionem; vel interrogando duntaxat, non 189.
~~193.~~
asserendo, quod colligi posse videtur ex v. 15.
ubi ait ad illos, cur sic agere voluistis?

Respondent alii, Josephum hæc non
dixisse seriò, sed jocaliter, et simulatè: ve-
rùm sic à mendacio non absolvitur.

13tio Jb. c. 46. v. 26. dicitur, quòd 190.
cuncta anima, quæ ingressa sunt in Ægyp-
tum, fuerint sexaginta sex, et v. 27. di-
cuntur fuisse septuaginta. Imò act.
7. v. 14. septuaginta ~~[illegible]~~ quinque
fuisse asseruntur in Ægyptò.

Resp. hæc omnia vera esse. Nam
cùm v. 26. cuncta anima, quæ ingressa
sunt Ægyptum cum Jacob dicuntur fuisse
66. in hoc numerò non includuntur Jacob,
et Joseph, nec duo Josephi filii, nimirùm
Ephraïm, et Manasse, qui quatuor si pro-
fato addantur numerò, reperientur septua-
ginta, idest, tot, quot reperiuntur in-
gressa v. 27.mo sequenti; et si insuper
istis addantur quinque Joseph nepotes,
qui fuerunt etiam in Ægyptò, prout ipsi
à Septuaginta Interpretibus addunt,
reperientur septuaginta quinque fuis-
se in Ægyptò, qui est numerus Act. 7.
expressus.

De libro Exodi.

Exodus vox Græca egressum latinè 191.
significat, quo nomine Secundus Scrip-
turæ liber insignitur, quòd de egressu
Israëlitarum ex Ægyptò præcipuè agat.
Hebræi idem Veelle Schemoth nuncu-
pant, id ~~[illegible]~~ est, hæc sunt nomina; eo-
quòd ista sint prima totius libri vocabula.

Idius 40. numerantur Capita, qui-
bus ea, quæ quartâ Mundi ætate, à
morte Josephi videlicet, usque ad

~~194.~~ erectionem Tabernaculi, quo facta fuit die
1mâ menis anni 2. ab egressu ex Aegyptô,
~~contigere describuntur mirabilia~~
~~Contingere ad prior temptigmenta~~
~~Contingere praedamenta~~ contigêre describun-
tur: ut Patriarcharum, seu filiorum
Jacob mors. Sevita dura Hebraeorum
Servitus, et oppressio. Varia machinatio-
nes, quibus Pharao Rex Aegypti Israëlita-
rum propagationem cade neonatorum
masculorum, eorundémque submersione
obstetricibus imperatâ conatus est impe-
dire. Moysis ortus, educatio, fuga,
Regúmque Aegypti in Hebraeos iterata
odia. Regressus Moysis è Madianitide,
quò prius confugerat. Plaga Aegyp-
tiis ab ipso inflicta. Hebraeorum ab
Aegyptô egressus, ac transitus Maris rubri:
Aegyptiorum ipsos persequentium in
eodem submersio. Beneficia à Deo
Israëlitis collata. Legis inditio. He-
braeorum in Deum ingratitudo. Taber-
nauli erectio.

* Quarta mundi aetas ~~a mortis Joseph usque ad erectionem tabernaculi~~ ab an. m. 2313. ant. Christ. 1487. ant. Er. 1491. usque ad an. m. 2992. ant. Christ. 1008. ant. Er. 1012. nempe usque ad jacta Templi per Salomonem fundamenta.

192. Quatuor praecipuè adversùs hujus li-
bri autoritatem objici solent. 1.° Ibid.
c. 14. v. 20. nubes, quae Hebraeos mare ru-
brum transeuntes ducebat, diitur tene-
brosa simul, et illuminans, quod apertè
contradictionem involvit.

Resp. Haec duo de nube illâ rectè di-
ci sine ullâ contradictione; anteriore
enim sui parte, qua Hebraeos illuminabat,
eisque lucem praebebat, illuminans erat,
parte verò suâ posteriore, et Aegyptios re-
spiciente erat tenebrosa, adeoque simul
illuminans, et tenebrosa respectu diver-
sorum, quod nullam contradictionem involvit

2do c. 20. v. 5. dicitur Deus visitare iniquitatem patrum in filios in tertiam, et quartam generationem: huic verò repugnat, quod dicitur Ezechiel. c. 18. v. 20. filius non portabit iniquitatem Patris. 191. 193.

Resp. priorem Exodi textum loqui de poenâ temporali, posteriorem verò de poenâ spirituali, privationis videlicet gratiæ, et damnationis æternæ; prior transit in filios, sensus posterior, exceptô peccatô Originali, de quo proinde non est hîc quæstio. Vel, ut explicant alii, prior textus loquitur de filiis iniquorum parentum mores imitantibus, posterior verò de filiis iniquorum parentum vitia fugientibus.

3tio Jb. c. 31. v. 18. Dedit Dominus Moysi ..... duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digitô Dei. Et tamen c. 34. v. 28. Idæ testimonii tabulæ à Moyse scriptæ dicuntur. 194.

Resp. Moysem, ob vituli adorationem à populô perpetratam indignabundum acceptas à Deô tabulas ipso Dei digitô scriptas confregisse, et postmodum duas alias prioribus similes præcidisse, atque in eis, dictante Deô, fœderis verba scripsisse, prout colligitur ex eodem c. 34. v. 1. Prior ergo textus intelligitur de prioribus tabulis à Moyse confractis, posterior verò de posterioribus à Moyse de novô præcisis, et Deô dictante, vel, ut alii volunt, ab ipso Deô iterum conscriptis.

4to Jb. c. 1 v. 20. et 21. obstetricibus Hebræis in Ægyptô Deus benefecisse dicitur, eisque domos ædificasse in pra- 195.

6. 88

mium mendacii, quo Pharaonem decipientes Hebræorum pueros servarunt incolumes.

Resp. Deum mulieribus idis beneficisse, non propter mendacium, quo Pharaonem deceperunt, sed ob pium Dei timorem, et laudabilem in pueros misericordiam, eos servando incolumes: præmio igitur à Deo sunt donata non ob verbum mendacii, sed ob affectum obsequii.

De libro Levitici.

196. Hic liber nomen sortitus est à legibus et cæremoniis Sacerdotes, Levitas, et Sacrificia spectantibus, quæ res sunt potissimum libri argumentum; quare apud Hebræos Lex Sacerdotum appellatur. Vajicra etiam ipsum nuncupant, idest, Et vocavit, quæ prima sunt totius libri voces.

Viginti septem in eo numerantur Capita, quorum septem priora ritus pro holocaustis, oblationibus panis, simila oleo conspersa, sacrificiis pacificorum, sive devotionis, et gratiarum actionis, et denique pro victimis pro peccato completuntur. Inde cæremonia, et sacrificia pro initiandis Sacerdotibus succedunt: quâ occasione historia Nadab, et Abiu igne consumptorum, quòd thus profano igni imposuissent, refertur. Lex denique de luctu, viníque usu Sacerdotibus interdicto eo tempore, quo Deo ministrant.

Inde à c. 11. usque ad 15. Regula pro animalibus puris, et impuris; pro distinctione lepræ hominum, ædium, et vestium, ac tandem pro expiatione puerperarum, et gonorrhoea laborantium statuuntur.

Hinc sequuntur caeremoniae pro solemni expiatione; gradus cognationis, in quibus connubia interdiuntur; foedus etiam cum Chananaeis, Idololatria, furtum, perjurium, calumnia, odium, superstitiones, auguria, prostitutiones, et adulteria cavenda denuntiantur; hostiarum vitia luculentè recensentur. 193.

Cap. 23. ferta totius anni solemnissima, Paschatis nempè, Pentecostes, Tabernaculorum, Solemnis expiationis, Tubarum, sive exordii anni civilis.

Cap. 24. proscribitur ritus conimandarum lucernarum in tabernaculo foederis; panum propositionis; Statuitur etiam poena blasphemorum lapidibus obruendorum, quo in viro, qui blasphemaverat executioni mandatur; et poena talionis.

Cap. 26. Dei praecepta servantibus bona promittuntur, non servantibus verò plurima mala. Et denique cap. 27. Statutis votorum, et decimarum persolvendarum legibus liber finis imponitur.

Duo hic objiciuntur. 1.° c. 2. v. 1. praecipitur in sacrificio oleum fundi et thus imponi. at ibid. c. 5. v. 11. idipsum prohibetur. 197.

Resp. priori cap. agi de oblatione, seu sacrificio eucharistico ad gratiarum actiones pro beneficiis acceptis ordinato. Posteriori verò de expiatorio, seu satisfactorio pro peccato. In illo praecipitur oleum, et thus; in isto autem prohibetur; quia oleum et thus

194. ~~198.~~ sunt virtutis, et lætitiæ symbola, quæ in peccatis bonum non habent; imò quia oleum, et thus ad delicias, et jucunditatem conferunt, quæ à peccatore procul abesse debent.

198. 2°. c. 18. v. 16. dicitur: Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis. Et tamen oppositum præcipitur Deut. 25. v. 5. his verbis: fratris defuncti uxorem accipiet frater ejus, et suscitabit semen fratris sui.

Resp. Prior levitici textus prohibet solùm, ne quis fratris sui uxorem duat, ido adhuc vivente, vel etiam eo mortuô, si nempe liberos reliquerit; posterior verò Deut. jubet ducendam, si frater sine liberis obierit.

De Librô Numerorum.

199. Hic quartus Pentateuchi liber ab Hebræis vocatur Va jedabber, idest, Et locutus est, eo quòd his vocibus in Hebræô incipiat. Quidam illorum eum nuncupant Bemid debar, quod est, In deserto, quia in eo referuntur ea, quæ Israëlitis contigerunt in itinere 39. annorum spatiô per desertum.

Græci denum, ac deinde Latini eum idcirò Numeros appellarunt, quòd illius tria prima capita Hebræos, et Levitas enumerent post erectionem, et consecrationem tabernaculi separatim recensitos.

Igitur liber iste 36. capitibus historiam, ut dictum, 39. circiter annorum quartæ mundi ætatis complectitur, à secundô silicet mense secundi anni egressûs Hebræorum ex Ægyptô usque ad finem penè vitæ Moysis, sive

40. annorum peregrinationis Israëlitarum in deserto usque ad initium mensis undecimi anni 40. dicta peregrinationis, quo tandem in campestria Moab ultra Jordanem pervenere.

Tribus primis capitibus initur, ut dictum, numerus populi Israëlitici, Bellatorum scilicet, Primogenitorum, et Levitarum. Deinde texitur historia peregrinationis Israëlitarum ex Egypto per Desertum in Canaan tendentium. Commemorantur multiplices eorundem contra Moysem, et Aaronem murmurationes, illarumque poenae. Recensetur etiam exploratio terra promissa facta per Josue, et Caleb, aliosque exploratores, nemon ejus situs juxta diversas plagas describitur: quibus hinc inde plura praecepta judicialia, et caeremonialia immiscentur.

Ob. c. 14. v. 29. dicitur, quod omnes à viginti annis, et supra, qui murmuraverant contra Dominum, non essent intraturi terram promissionis praeter Caleb filium Jephone, et Josue filium Nun. Et tamen, ut habetur Josue c. 14. v. 1. Summus Sacerdos Eleazar, licet tunc, cum maledictum illud pronuntiatum fuit, viginti annis major esset, cam ingressus est.

Resp. comminatoria illa Moysis verba solum ad illos Hebraeos dirigebantur, qui ad reditum Terra promissae exploratorum illorum, qui eidem falsò detrahebant, murmuraverunt contra Moysem; quorum murmuris, et rebellionis cum conscius non fuerit Eleazar Sacerdos, sic nec eadem cum illis poenâ

~~200.~~ debuit puniri, atque Terrâ promissionis privari.

115
2/90

201. De Libro Deuteronomii.

Deuteronomium quinque Moysis Librorum postremus, in quo veluti summa colligitur omnium, quæ Moyses in aliis præcedentibus libris fecerat, et constituerat: unde et Deuteronomium, idest, Secunda Lex, seu potius Summa Legis dictus est.

Titulus ejus apud Hebræos ex verbis in exordiô libri occurrentibus, Elle haddebarim repetitur. Ex Rabbinis tamen aliqui eum Misna, quod idem est, ac Secunda lex; alii Reprehensionum librum vocant ob redargutiones in Israëlitas c. i. 8. 9. 30. et 42. inertas.

Triginta quatuor capitibus constat, historiamque complectitur sexcentes hebdomadum, quantum scilicet temporis intercessit ab exordiô mensis undecimi usque ad septimum duodecimi mensis diem anni quadragesimi ab exitu Israëlitarum ex Ægyptô.

In eo Moyses c. i. 2. et 3. populum alloquens totam ab egressu Ægypti usque dum in planitiem Moab venissent, historiam recenset. Deinde à c. 5. usque ad 27. secundâ idos oratione Leges Dei in monte Sinâ acceptas explicationibus, novisque ~~[illegible]~~ additionibus illustrat.

Inde à c. 28. usque ad 30. populum vehementer adhortatur, ut divinis legibus obtemperet. Subindè successorem suum in populi Regimina à Deô destinatum esse Josue declarat c. 31. v. 9. 10. et 14. Tandem, post ea omnia scriptis exarata, librum Senioribus populi com-

197.

mittit, etiam atque etiam eos obtestans, ut ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ illum singulis septennijs in coetu populi festô Tabernaculorum die illum prælegerent.

Post paucos dein dies cantium vehementissimum coram populô recitavit, in quo violandam à Judæis fidem non obscurè significabat, p. Illud verò Cantium à singulis exscribendum præcepit, ut ad debitam Deo præstandam fidelitatem ejus lectione excitarentur. Tandem eâ die jussus à Deô montem Nebo ascendere, ut diem claudaret, convocatô prius adhuc populô, singulis Tribubus benedictionem impertivit et quæ eventura erant, prædixit; inde montem ascendens vitâ functus est, cùm vixisset annos centum viginti.

Ob. c. 18. v. 6. et c. 23. v. 19. permittitur Hebræis fœneratio cum alienis. At contrà Psal. 14 v. 5. dicitur, quòd ille diuturnat habitaturus sit in Tabernaculô Dei, qui non dederit pecuniam suam ad usuram. Et Luc. c. 6. v. 35. ait textus: Mutuum date nihil inde sperantes. 202.

Resp. Usuram jure naturali, divinô, et humanô vetitam Judæis ad diritiam cordis eorum in Deuteronomiô à Moyse ab alienis diuturnat exigi fuisse permissam, idque ad majus malum vitandum, ne scilicet à fratribus suis Hebræis usuras exigerent, et extorquerent, eósque sic gravarent, et opprimerent. At quia ipsis permissum erat alienos, ut Amalecitas, Amorrhæos, p. sine crimine occidere, utique etiam licitum ipsis erat, eorum bona rapere, vel apertè, vel occultè, et dolo-

~~202.~~ Sè, ac per usuram, idque meritò eis ad duritiem cordis ipsorum permittere potuit Deus, utpotè rerum omnium Dominus, quemadmodùm iisdem permisit Ægyptios spoliare, libellum repudii dare, et plures uxores habere, quamvis vetita hæc omnia. Verùm cùm hæc concessio jam dudum cessaverit, cùm cessaverint omnia Synagogæ privilegia, finierit et ipsa Synagoga, omnibus, etiam Judæis, vetita remanet usura, atque supra ablato Domini præcepto Luc. c. 6. v. 35. obsequendum, nempe dandum mutuum, nec quidquam inde sperandum, aut aupiendum; at heu, quàm pauci huic præcepto, vel, si velis monitò duntaxat, obediunt!

91 3

Caput Secundum.

203. ### De libris Historicis Veteris Testamenti.

Septemdecim, ut alibi à nobis dictum*, numerantur Veteris Testamenti libri Historici, Josue scilicet, Judicum, Ruth, Quatuor Regum, Duo Paralipomenon, Duo Esdræ, Tobiæ, Judith, Esther, Job, et Duo Machabæorum. De singulis his libris præsenti capite nobis tractandum est.

3/91

* part. j. c. i.

204. ### De librô Josue.

Fuit Josue filius Nun à gravis senis filius Navæ dictus, ex Tribu Ephraim natus annô mundi 2460. ante Christ. 1540. et ante Eram 1544. prout vult Calmet.*

* Dict. Bib. v. Josue

Moysis servitio libens addictus à Scripturâ passim Moysis famulus appellatur*, eóque defunctô Israëlitarum regimen, ad quod paulò ante Moysis obitum à Deô electus fuerat, cepit

* Exod. c. 24. v. 13. et c. 33. v. 11. Item Deut. c. 1. v. 38.

an. mundi 2552. ~~ante Chr.~~ ante Chr. 1451. 199. ~~Ex. 202.~~
Dei opem in omnibus prostò sentiens.
Primum illius nomen Osee fuit, id est, Servator*, cui Moyses Dei nomen addens, eum Josue, id est, Dei Salutem, sive Ipse Salvabit, nuncupasse narratur. * Num. c. 13. v. 9. et 7. 17. 17.

Quando autem nomen istud Josue obtinere coeperit, disputatur. Alii post profligatos Amalecitas, alii post exploratam Chanaanitidem volunt. Graeci pro Osee legunt Ausem.

Liber, qui ipsius nomine inscribitur, 24. capita continet, in quibus ipsemet Josue historiam quartae mundi aetatis prosequitur, atque transitum filiorum Israël per Jordanem, eversionem civitatum Jericho, et Haï; subversionem plurimorum Regnorum, oppugnationem triginta et unius Regum; divisionem terrae promissae; exhortationem, quâ Ipsemet filios Israël ad servanda Dei mandata, et cavendam societatem cum gentilibus est adhortatus, commemorat, aliaque multa facta commendabilia, quae à morte Moysis usque ad suam mortem tempore 17. annorum gesta fuere, ab an. m. vi- 205.
delicet 2553. ante Chr. 1447. ante Ar. 1451. usque ad an. m. 2570. ante Chr. 1430. ante Ar. 1434. quo ipse Josue annos natus 110. obiit. Illum an. m. 2560. obiisse, quidam Chronographi Sacri asserunt, alii an.

200.

~~204.~~ m. 2561. Cum tamen rebus Israëlitarum 17. circiter annis praefuisse omnes consentiunt.

206. Hujus libri Autorem esse Josue ipsum, manifestè probatur 1.° Quia omnia exemplaria sive Hebraïca, sive Graeca, sive denique Latina Josue tanquam illius Autorem praefe-runt. 2.° Quia illum tum Synagoga, tum Ecclesia ipsi Josue tanquam illius Autori semper tribuerunt, atque velut Canonicum agnoverunt. 3.° Quia alii Sacrorum librorum Scriptores illum eidem Josue adscripserunt, ut 1.° Ecclesiasticus qui c. 46. v. 1. ait, Josue successit Moysi in Prophetiae ministerio, idest, prout exponunt Interpretes, in munere habendi historiam populi Dei, et componendi Sacros libros. 2.° Autor libri 3tii Regum ex volumine isto integram periodum exhibit c. 16. v. 34. atque subjungit juxta Verbum Domini, quod loutus fuerat in manu Josue, filii Nun*. Ergo liber Josue antiquior est libris Regum, atque ab antiquioris aetatis Autore conscriptus, nempè ab ipso Josue, cùm nullus alius libri istius Scriptor assignari valeat. 3.° Ipsius libri Josue cap. ult. v. 26. haec leguntur: Scripsit quoque Josue omnia verba haec in volumine legis, idest, Beatenucho adjunxit. Ergo vel hoc ipso libro teste Illius Autor est Josue.

Quod si dicas, haec de isto ult. cap. duntaxat intelligi oportere, non

(c) * Josue c6. v. 26.

492

autem de toto libro: Respondemus, quod si caput istud Josue tribuatur, meritò etiam totus liber ei tribui debeat; præsertim cùm argumenta, quæ in contrarium afferri solent, evanida sint, nullíusque ponderis, prout mox ostendemus. 201.

Prob. etiam ratione Theologicâ. Nudi alteri Scriptori liber iste potiùs convenire, et adscribi potest, quàm Josue. Ergo p. Pb. Ant. Nudus in eodem libro exarata melius nosse poterat, adeoque ad eum conscribendum magis idoneus, et comparatus erat, quàm ipse Josue, utpotè omnium eorum testis oculatus non modò sed et Autor, ac Dux. Ergo p.

Solvuntur Objectiones. 204.

Ob. 1º. In hoc libro frequenter repetuntur hæc verba: Usque in præsentem diem*. Atqui hæc denotare videntur tempus Josue ipso longè posterius. Ergo p.

Resp. neg. min. Josue multis annis præfuit Israëlitis partim solus, partim sub Moyse, ac librum suum in summâ senectute scripsit; benè ergo ea, quæ pridem facta fuerant, usque in præsentem diem, seu illud, quo scribebat, tempore perseverasse, potuit scribere. Moyses ipse in Deuteronomio, cùm de rebus à se pridem gestis loquitur, hujusmodi dictionem etiam usurpat: Reversus, inquit c. 10. v. 5. de monte descendi, et posui tabulas

*c. 4. 5. etc.

in Aram, quam fecerant, quæ huucsque ibi sunt. Matthæus item c. 27. v. 8. Propterhoc, inquit, vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem. Et c. 28. v. 15. Divulgatum est, inquit, verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem.

208. Ob. 2do. Sub finem cap. 6ti fama Josue per omnem terram vulgata dicitur. Et c. 8. v. 11. omnia præstitisse scribitur Josue, quæcunque præceperat Moyses. Atqui hæc, utpotè haud modicam jactantiam præ se ferentia, indigna videntur Josue modestiâ. Ergo alii, quàm ipsi, adscribendus videtur ipsius liber.

Resp. Huic objectioni jam supra nos satisfecisse*, ubi de libris Moysis egimus, atque eadem adversus illius Pentateuchum proposita fuit. Profectò, si liber iste, ex eo, quòd nonnihil benegestorum Josue commemoret, ipsi est abjudicandus, D. Paulo itidem abjudicandæ erunt aliquot Epistolæ, quòd in illis pietatem suam, et benefacta, neu non eximias dotes suas commendet. Sed Scriptura mos est, inquit D. Gregorius*, ut ipsi, qui scribunt, sic de se in illâ, quasi de aliis loquantur; hinc est enim, quòd Moyses ait, erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. Hinc Joannes dicit, Discipulus ille, quem diligebat Jesus. Hinc Lucas ait, quòd ambularent duo ex Discipulis in via Cleophas et alius. Sicque, igitur sacri Eloquii, qui impulsu Spiritûs Sancti agitantur, sic de se in illo testimonium quasi de aliis proferunt.

Ff 4 * pag. 166.

* Præfat. in Job.

Ob. 3tio c. 10. v. 13. citatur Liber Justorum. Atqui liber hic ipso Josue est recentior, aut saltem ei coævus, quippe qui pugnæ Gabaonitarum, et Stationis Solis meminit. Ergo etiam liber, qui Josue nomen præfert, ipso Josue est recentior, adeoque minimè ab eo conscriptus. 203. ~~207.~~ 209.

Resp. neg. jmum membrum minoris. Josue senio jam confectus, prout jam annotavimus, librum suum exaravit, proinde mirum non est, quòd mentionem faciat libri Justorum, qui liber nihil aliud erat, quàm carmen Epinicium, quod stata post reportatam de hostibus Gabaonitarum insignem victoriam idam editum est, atque inter Hebræos divulgatum. sta say 93

Ob. 4to Eodem loco legitur, Solem stetisse in medio coeli, et non festinasse occumbere spatio unius diei: nec fuisse antea, et postea q: una enim dies, ut dicitur Eccli. c. 46. v. 5. facta est, quasi duo. Atqui 1o id præter veritatem dictum videtur; enimverò Isaia c. 38. v. 8. dicitur, quòd tempore Ezechiæ, Sol reversus sit decem lineis per gradus, quos descenderat, iique ter percurrerit idem decem linearum spatium, atque triginta duarum circiter horarum diem fecerit, qui adeoque profectò longior fuit, quàm ille, de quo apud Josue cap. 10. v. 13. fit mentio. 2o Ad, etsi ita factum fuisset, tamen Josue dicere non poterat; qua enim ratione ipse de futuro etiamnum post ipsum tempore cavere poterat? Ergo ex duplici hac ratione liber iste Josue adscribi non potest. 210. ~~5~~ q tam longa diem

Resp. neg. min. Ad jmum Respondet Liranus, tempore Josue stationem

~~Ob 3~~ * videtur quòd tunc Sol momento decem solaris horologii lineis reversus sit adeoque diem viginti duntaxat dearum horarum fecerit.

~~208~~ Solis contigisse in Solstitio æstivo; tempore Ezechiæ autem ipsius reversionem in Solstitio hiemali diuidisse; et idcò Solem diutiùs supra hemisphærium nostrum stetisse sub Josue, quàm sub Ezechiâ; cùm dies duplicata in æstate correspondeat quæ duplicata hiemali. 2°. Resp. cum communi: In Josue libro sermonem esse de longitudine diei respectu Palestinæ in qua tam longa dies nunquam visa fuerat.

Ad 2dum Eidem jam satisfecimus in responsionibus ad 3tiam et 1mam objectiones. Dùm nempe post hoc prodigium Josue librum suum scripsit. *Stetitque Sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio unius diei; non fuit antea nec postea, id est, toto reliquo Josue vitæ tempore, ~~tamen longa dies~~ seu usque ad tempus, quo hæc scripsit ~~[illegible]~~, tam longa dies. Nec enim pridie, aut mediusterdiùs evenerat hoc prodigium, sed ante multos annos, quàm hæc ab ipso scripta fuerint.

*Josue c. 10. v. 13. et 14.

211. Ob. 5.to Historia Calebi, quæ narratur hujus libri c. 15. v. 13. et seq. post obitum Josue primùm evenisse dicitur c. 1. lib. Judic. Ergo &c.

Resp. Hæc Calebi historia addita fuit capiti 15. Josue ab alio, majoris eorum, ~~quæ~~ quæ ibidem de sorte Tribûs Judæ narrantur, claritatis gratiâ, ut pote in cujus sortis medio Moyses Calebo partem dederat, Cariatharbe scilicet, seu Hebron, quam deinde armis sibi subegit, ut et Cariath Sepher, quam cepit Othoniel nepos ipsius, unde et illius filiam Axam accepit in uxorem. Hæc inquam ex libro Judicum huc translata fuêre, ut totus historiæ contextus simul coheretur.

Ob. 6.to Cap. 19. v. 2. mentio fit terræ 209. 212.
Cabul. Atqui hæc terra primùm nomen istud accepit ab Hiramo Salomonis coetaneo, ut habetur lib. 3. Reg. c. 9. v. 13. Ergo &c.

Resp. neg. min. lib. 3. Regum c. 9. Sermo est de regiunculâ viginti oppidorum, quam Salomon Hiramo Regi Tyri dederat. At Josue cap. 19. v. 2. agitur de viculo aliquo in terra Tribûs Aser, et confinius Ptolomaïdis Pto.

Ob. 7mo Sub finem cap. 16. de Chana- 213.
neis Gazeritanis referuntur ea, quæ cap. 1. Judicum recitantur, tanquam defuncto jam Josue acta. Ergo &c.

Resp. Cap. 1. Judicum ea repetuntur, quæ cap. 16. libri Josue aperta fuêre. memorato enim c. 1. Judic. v. 27. refertur, quod Manasses non deleverit Chananæos Bethsanitas, Thanacitas, &c. ad exemplum videlicet filiorum Ephraim, de quibus, ex iis, quæ memorata sunt c. 16. Josue, constaret, ab ipsis nec Chananæos Gazeritanos fuisse interfectos. Eximde autem non sequitur, librum hunc Josue recentiorem esse, vel tempore Josue Israëlitas nondum occupasse terram Gazeritarum; verum id Juntarat oritur, Autorem videlicet cap. 1. Judicum, cum hæc scriberet, præmanibus habuisse Josue librum.

Ob. 8vo In historiâ, quæ c. 22. 214.
v. 10. et seq. narratur de ingenti aræ illâ à Rubenitis, Gaditis, et Dimidiâ Manassæorum parte extructâ nulla fit mentio de Josue. Ergo hæc historia est idcirco recentior; si enim suo tempore evenisset hæc decem Tribuum adversus fratres suos conjuratio, utique eidem interfuisset Josue &c.

Ota
Pag 92

206.

~~sim~~ ~~dia~~. Resp. neg. cons. nam ibidem apertis verbis habetur, Rubenitas, Gaditas, et dimidiam Manassæorum partem in propias sedes à Josue dimissos fuisse; et cùm ad tumulos Jordanis pervenissent, antequam disjungerentur, immanem aram illam molitos esse quæ reliquos Israëlitas comitavit. Hæc ergo Josue tempore evenerunt; nisi eum statim ac memoratas Tribus dimisit, mortuum velis, quod tamen apertè falsum esse subsequentia demonstrant capita.

215. Ob. 9.no In fine libri hujus mors Josue, et res post ejus obitum gestæ narrantur. Ergo.

Resp. Ea, quæ cap. ult. de obitu Josue, atque post ejus mortem gesta esse narrantur, addita fuerunt libro hui vel à Samuele, vel ab Esdra, vel ab aliquo alio. Id autem minimè obest, quin reliquus liber ipsius sit.

216. Ob. 10.mo Si Josue liber Jeroboami, qui autor fuit defectionis Decem Tribuum Israel à Roboamo Salomonis filio, dissidio fuisset antiquior, utique idem admisissent Samaritani. Atqui hi solum et unicum Pentateuchum recipiunt. Ergo indicium est, solum hunc Pentateuchi librum ante defectionem Roboami vulgò apud Hebræos extitisse, nec Josue librum adhuc fuisse conscriptum.

Resp. Samaritanos* non modò canonicum Josue librum, sed et alios ab Hebræis ante ipsorum in terram Israël adventum communiter probatos, et pro sacris habitos neglexisse, quippe qui, ut habetur lib. 4. Reg. c. 17. v. 33. et 34. Cùm Dominum colerent, Dis quoque suis serviebant, justa consuetudinem gentium, de quibus transla-

* Samaritani juxta stylum sacrorum Scriptorum sunt populi, quos è remotissimis Transeuphratais, seu trans Euphratem sitis regionibus Reges Assiriæ ad incolendam Samariæ regionem deduxerunt, de-

ti fuerant in Samariam: usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum: non timent Dominum, neque custodiunt cæremonias ejus, et judicia, et legem, et mandatum, quod præceperat Dominus filiis Jacob, quem cognominavit Israël. 207.

cem Tribuum Israëlitis priùs eam incolentibus abiisdem Regibus aliò translatis. Eorum igitur Epocha ad annum Captæ Urbis per Salmanasarem annò M. 3283. constituitur.

Imò Samaritani Josue librum legunt, summóque honore servant, ex quo argumenta pro suò adversùs Judæos diffidiò tuendò deducunt; etsi plurimùm distet ab eo, quem Synagoga, et Ecclesia pro Canonicò agnoscunt, nihilque aliud esse videatur, quàm Chronicon, seu historia satmalè digesta eorum, quæ acciderunt à morte Moysis usque ad Adriani Imperatoris tempora*.

* Calmet Dict. Bib. Vocb. Josue.

De Libro Judicum.

Post mortem Josue, quæ contigit an. m. 2570. ant. Chr. 1430. ant. Eram 1434. qui deinceps usque ad Saulem primum Hebræorum Regem Israëlitis præfuêre, Judices sunt appellati. Eorum dignitas, quamvis ad mortem usque permaneret, non tamen jure hereditariò ad successores devolvebatur; siquidem quandoque eorum intermissa fuit continuatio. Interfuêre enim interdum Anarchiæ, quibus intervallis Princeps nullus, nullus Judex Rempubliam gerebat. Interdum etiam Hebræi servitute oppressi exteris parere coacti sunt; tunc proinde aut nullos Judices habebant, aut eorundem tenuis admodùm erat autoritas. 217.

Quamvis ut plurimùm Deus per semetipsum, seu per apertum voluntatis suæ indicium Israëlitarum Judices excitaret, nihilominus aliquando populus hauden- 218.

Stima Pag. 95

~~212.~~ jectatâ Dei revelatione, cum sibi Judicem deligebat, quem avertendis calamitatibus aptiorem censebat. Sic, qui ultra Jordanem erant Israëlitæ Jephte, ut bellum contra Ammonitas gereret, sibi ducem propriô judiciô assumpserunt. Quando autem calamitates, quæ Judæos ad Judicum perfugium compellebant, non ad omnes undique regiones extendebantur, tùm neque selecti Judices toti Israëli imperabant, sed ùs tantùm, quos periculô liberassent. Sic nec Jephte ultra, nec Baruch ultra Jordanem judicabant.

219. Porrò Judicum autoritas Regum imperio haud impar erat; res quippe belli æquè ac pacis moderabantur; lites supremâ et Monarchicâ autoritate dirimebant. Novas tamen leges condere, et populis nova onera imponere prohibebantur. Leges et religionem tuebantur; et in crimina, præsertim idololatriam, animadvertebant. Cæterùm sine pompâ, sine satellitiô, sine comitatu incedebant, nullis vectigalibus, quibus parem dignitati famulatum alerent, donabantur. Solis quippe muneribus sponte oblatis contenti, nec certos redditus, nec ullas populi collationes congerebant.

Eorum imperium trecentis triginta novem annis, ab obitu videlicet Josue, usque ad initium Regni Saulis, perduravit.

220 Liber eorum nomine inscriptus 21. capitibus continet historiam 339. annorum, et ideo Judicum nomine insignitus est, quòd gesta complectatur Judicum, et Principum Israël, qui videlicet populo post mortem Josue, fere usque ad initium Regni Hebræorum, seu electionem Saulis primi eorum Regis, pafuerunt. Varia igitur in eo librô commemorantur afflictiones, servitutes, et oppressiones, quas sub Judicum regimine diversis

temporibus passi sunt Israëlita à Moabitis, Philistaeis, Ammonitis, Madianitis, p. sumpta deinde de inimicis ultio, et ab iis liberatio. Ipsorumque Judicum gesta ab Othoniel usque ad Heli, et Samuel ultimos Israëlitarum Judices, quorum in j.mo libro Regum primum fit mentio. En Iorum Judicum Chronologia. 209. ~~213.~~

Anni Mundi. 221.

2570. Mors Josue.

2585. Quindecim circiter annis Seniorum administratio.

2592. Anarchia circiter per septennium usque ad an. 2592. Hoc intervallo contigit Michae historia. Oppugnatio item Urbis Laïs facta à 600. viris ex tribu Dan. Necnon Undecim Tribuum bellum adversus Tribum Benjamin.

2591. Prima servitus sub Chusan Rasathaim Mesopotamia Rege ab an. 2591. usque ad annum 2599.

2599. Othoniel anno post pacem à Josue terrae allatam 40.mo Israëlem liberat.

2662. A liberatione per Othonielem an. 2599. facta pax continuata fuit 62. annis usque ad an. videlicet 2662, quo incidit secunda servitus sub Eglone Moabitarum Rege, cui Hebraei 18. annis paruere.

2679. Aod Israëlem liberat; post quem judicavit Samgar, et à primâ per Othonielem liberatione pax perstitit octoginta annis.

2699. Tertia sub Chananaeis servitus per annos 20. ab an. 2699. nempe usque ad an. 2719.

210.
~~214.~~ 2719. Debora, et Barac Israelem liberant. À liberatione per Aod usque ad finem Deborae, et Barac 40. anni interfuêre.

8va

pag 96

2752. Quarta sub Madianitis servitus per septennium, ab an. 2752. usque ad an. 2759.

2759. Gedeon Israëlitas libertati restituit. À liberatione per Deboram, et Barac usque ad praedictam Gedeonis liberationem demò 40. anni interfluerunt.

2768. Abimelech ~~[illegible]~~ filius spurius Gedeonis à Sichimitis Dux salutatus, et 70. fratribus suis interfectis, imperavit tribus annis ab an. 2768. usque ad an. 2771. quo in obsidione Thebes Palestinae urbis jactô à muliere quâdam in ipsum mola fragmine cerebrum ipsius confractum est.

2772. Thola tribus et viginti post Abimelech annis judicavit Israel ab an. videlicet 2772. usque ad an. 2795.

2795. Jairus post Tholam praefuit annis 22. ab an. 2795. usque ad an. 2816.

2799. Quinta sub Philistaeis servitus per annos 18. ab an. 2799. usque ad an. 2817.

2817. Mors Jairi. Eodem annô Jephte Israelitarum ultra Jordanem Princeps eligitur. Ammonitas, à quibus Hebraei opprimebantur, evertit. Sex annis judicavit, ab an. 2817. usque ad an. 2823.

2823. Moritur Jephte. Abesan septem annis judicat, ab an. 2823. usque ad an. 2830.

2830. Ahialon post Abesan imperat usque ad an. 2840.

2840. Abdon octo annis judicavit usque ad an. 2848. quo incidit sexta sub Philistæis servitus per annos 40. ab an. 2848. usque ad an. 2888. 211.

2848. Heli Pontifex ex progenie Ithamari totâ servitutis sub Philistæis tempore per annos 40. Judicavit Israël.

2849. Samson nascitur, qui Philistæis multa mala intulit.

2887. Moritur Samson p.

2888. Mors Heli, eidem successit Samuel.

2909. Electio, et unctio Saulis primi Hebræorum Regis.

Libri Judicum Autor non satis notus est. A quibusdam Phinees; ab aliis verò Esdra, aut Ezechia; ab aliis denique Samueli tribuitur; ab aliis verò omnibus et singulis Judicibus, quorum quisque Regni sui seu Magistratûs historiam exaraverit. 222.

Nos abuno eodémque tantùm Auctore, qui post Judices vixerit, confectum arbitramur, cui sententiæ perplurimum id favere videtur, quòd c. 2. v. 10. et seq. totius libri summa, et idea exhibeatur.

Probabilius autem nobis videtur, illum à Samuele conscriptum esse, 1º Quia illius Autor eo tempore, quo Jebusæi Jerosolymæ imperabant, ac proinde ante Davidem superstes fuit, Judic. c. 1. v. 21.

2º. Quia, cùm Opus istud exaratum est, jam à Regibus Respublica Hebræorum geri videbatur, eo quòd Autor, florentibus Judicibus, nullum Israëli Regem imperasse pluries memoret, quod Samuelis ætati omninò convenit, qui, cùm sub Saulis imperiò viveret, notare voluisse videtur discrimen regiminis sui temporis ab illo, quo Judices imperabant.

212.
~~216.~~
223. Ob. 1.º Hæc opinio non videtur stare posse, nisi huic libro quædam deinceps addita fuisse dicantur, ut idem, quod c. 18. v. 30. dicitur, scilicet, Viros Dan posuisse sibi sculptile, et Jonatham filium Gersam filii Moysis, ac filios ejus Sacerdotes fuisse in tribu Dan usque ad diem captivitatis suæ; manssisseque idolum Michæ apud eos omni tempore quo fuit Domus Dei in Silo. Atqui nulla videtur adstrui posse captivitas tribûs Dan, præter eam, quæ sub Teglathphalasare Assyriorum Rege pluribus post Samuelem Saulis contigit. Ergo p.

Resp. neg. maj. Hæc, de quâ hic fit mentio, captivitas contigit, antequam Israëlitis leges imperarent. Subdit enim Auctor, v. 31. In diebus illis non erat Rex in Israël. Fit ergo, tum Michæ idolum periisse, quando de Silo ablata est Arca, ut in Bralium adversus Philistæos produceretur: sublatô autem idolô, una sublatus fuit Sacerdos bellique jure captus unacum magnâ Israëlitarum multitudine, prout memorat Psalmista Psal. 77. v. 60. et 61.

Prima N. Pag 97.

224. Ob. 2.do In eodem libro persæpe occurrit mentio urbis Jerusalem. Atqui nomen hoc urbi isti primum post Samuelis tempora inditum fuit. Ergo p.

Resp. neg. min. Certum namque est, hanc ipsam esse civitatem, quæ temporum initiô Salem nominabatur, et in quâ Melchisedeci Regia fuit. Psalmes enim juxta Hebraicum exemplar psl. 75. v. 3. ait: Et factus est in Salem locus ejus p. Communis etiam fert opinio, dictionem hanc Jerusalem ex vocibus Jeru, et Salem sumptâ priori vocabulô ex nomine, quod Morio monti, qui in eodem locô situs erat, fecit Abraham cùm dixit: Dominus videbit. Quandonam autem hæ duæ dictiones

in unam fuerint conflata, ac ex iis Jerusalem primum dici coeperit hac civitas, obscurum est, et incertum. Probabiliter censendum videtur, Israëlitas, ipsumque Josue postquam vicina loca insederunt, memores diti Abrahamici, et impositi loco huic nominis, novum nomen urbi finxisse ex veteri isto Salem, quod à Jebusaeis, finitimisque populis habebat, et altero, quod ab Abrahamo habuerat. His autem recentior fuit libri Josue, et libri Judicum lucubratio; unde objectio nihil evincit. 213. ~~217~~

De libro Ruth. 225

Fuit Ruth foemina Moabitis, quam Chelion filius Elimelech in Moabitidem secedens ibidem duxerat uxorem. Liber, qui illius nomen praefert, est veluti appendix ad librum Judicum, et initium, seu introductio ad libros Regum.

Veteres Judaei ipsum libro Judicum adjecerunt, quod historiam exhibeat, quae ipsorum tempore contigit*. Multi quoque antiqui Patres, cum S. Scriptura libros recensent, septimo loco ponunt librum Judicum simul, et librum Ruth, ita ut ab uno eodemque volumine utrique comprehendatur. Verum tum idiomata, tum ipse titulus exposunt, ut velut separatus et distinctus liber sive à Judicum, sive à primo Regum volumine habeatur, quamvis ad utrumque pertinere videatur, quippe cum praecedente continuatur, ac subsequentis primi Regum libri est exordium.

9 * Ruth c. i. v. i

Recentiores Judaei, mutata veteri librorum sacrorum dispositione, statim post Pentateuchum, quinque libros, quos Magilloth vocant, subjungunt: nempe Cantica, Ruth, Lamentationes Jeremiae, Ecclesiastem, et Esther; interdum Esther inter

214.
~~218.~~ hos libros primum, interdum secundum, et aliquando quintum locum obtinet.

226. Liber Ruth quatuor duntaxat capitibus concluditur, in quibus eximia pietatis, et divinæ providentiæ singulare exemplum exhibetur, multáque mirabilia, magnísque mysteriis referta de Ruth narratur, quæ socrum suam Noëmi è Moabitide in patriam revertentem piè subsecuta, et Boozo prædiviti secundis nuptiis juncta, ei peperit Obed Davidis avum, unde Christus Dominus secundùm carnem traxit originem.

227. Quando autem liber iste, et à quo scriptus fuerit, certò definiri haud potest. Id apertum est, ea videlicet, quæ in eo narrantur, subnius Judæis regimine contigisse.

228. Samuelem illius Autorem esse plerique censent. Profectò si verum est, Samuelem scripsisse primum Regum librum, et partem secundi, quibus gesta Davidis continentur, quasi pro certò inferri posset, eum etiam hunc librum scripsisse. Nam 1º Scopus hujus libri Autoris est, Davidis indicare genealogiam; cùm enim eam in libris Regum tenere haud posset, nisi narrationis suæ filum interrumperet, atque Saulis, et Davidis gesta omninò inter se connexa separaret, hinc exile opusculum separatim edidisse videtur velut supplementum eorum, quæ deesse videbantur iis, quæ in primò Regum librò de Regali Davidis familiâ reperset.

2da

2º. Liber iste dictionem in librò primò Regum usurpatam refert, et geminæ phrases in eo occurrunt, quæ nonnisi in libris Regum inveniuntur: ut, Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, hic cap. 1. v. 17.

Et 1. Reg. c. 3. v. 9. et v. 35. Item c. 19. v. 13. 16. ab 215.
tera, Ego tibi revelavi aurem, idest, Ego
dixi tibi, hû c. 4. v. 4. Et 1. Reg. c. 20. v. 2.
Item 2. Reg. c. 7. v. 27.

De quatuor Regum libris. 229.

Libri Regum quatuor inscribuntur, quamquàm olim in Biblijs Hebraïcis in duos tantùm divisi fuerint, quorum primus Samuelis nomine signabatur; secundus verò liber Regum nuncupabatur. Nostræ ætatis exemplaria omnia Hebraica, Græca, et Latina quatuor libros præ se ferunt. Duo priores in Hebræo Samuelis, duo autem posteriores Regum nomen præfixum habent. Græci omnes quatuor libros Regnorum, Latini verò libros Regum eos nuncupant.

Primus igitur Regum liber 31. capitibus completur ea, quæ gesta fuêre sub Judiibus Heli, et Samuele, necnon sub imperiô Saulis usque ad ipsius mortem; ab annô M. videlicet 2849. usque ad an. 2949. Centum videlicet annorum historiam. 230.

A cap. 1. usque ad 10. describuntur ea, quæ 60. circiter annorum spatiô contigerunt, ab an: videlicet M. 2849. usque ad an. 2909. sub Heli, et Samuele: nempe nativitas Samuelis; redarguitio Heli propter iniquos et impios filios suos; bellum Philistinorum adversus Israelitas; isti ab illis cæduntur, atque capitur Arca Dei; ob retentam Arcam afflignntur Philistæi à Deo, eámque remittunt; Bellum innovatur adversùm Philistæos, atque ab Israëlitis vincuntur oante pro ipsis Samuele. Filijs Samuelis, quos ipse senex jam, et decrepitus Judices populi constitue-

rat, ad avaritiam delinantibus, petit populus sibi Regem; Samuel igitur praecipiente Dominô ungit Saulem in Regem; et postmodùm convocatô populô ad Dominum in Maspha, missisque sortibus, in Saulem cecidit sors, atque ibidem in Regem consecratus est, cap. 10.

Reliquis Capitibus gesta Saulis, et Davidis per 40. annos usque ad Saulis interitum narrantur, ab an. m. scilicet 2909. usque ad an. 2949. nimirùm Saulis à Regnô amotio; electio Davidis in Regem; victoria ipsius de Goliath reportata; insidiae Saulis in Davidem; variae afflictiones, et persecutiones, quas David à Saule perpessus est, usque ad hujus obitum et necem.

231. Libri 2di Regum 24. sunt Capita, quibus ea referuntur, quae à morte Saulis usque ad finem Regni Davidis 39. annorum spatiô ab an. m. 2949. usque ad an. 2988. facta fuêre; unctio scilicet Davidis in Regem; bella contra hostes ab ipsô prosperè gesta; misericordia, quam exhibuit Jonathae posteris; ultio injuriae ab Ammonitis illatae; duplex Davidis peccatum, adulterii nempe, et homicidii; ob quae à Nathan Prophetâ reprehenditur; rebellio Absaloni adversus patrem suum Davidem ipsiusque interitus; gravis Dei offensio, quam David populi enumeratione incurrit; sceleris hujus expiatio facta per extructionem altaris, et oblationem holocaustorum; &c.

232. Liber Tertius Regum 22. capitibus absolvitur, et 126. annorum historiam complectitur, quae ab inunctô in Regem Salomone, et à Patre in Regni Societa

tem acuto usque ad obitum Josaphat Regis 217. ~~271~~
deducta est, ab an. m. videlicet 2989. usque
ad an. 3115.

Prioribus undecim capitibus Salomonis gesta usque ad ejus obitum commemorantur; ut, ipsius in Regem an. m. 2989. substitutio, et unctio, præcipiente David patre suo jam jam deficiente, qui et subsequenti anno, mundi 2990. annos natus 70. cum dimidio mortuus est; Sapientia Salomoni à Deo inspirata; Templi Domini, Regiique Palatii magnificentissima structura, eorumque pretiosissima utensilia. Templi fundamenta jacere coepit Salomon anno 480. ab exitu Israël de Ægypto an. 4to Regni sui, mundi 2992. quo initium datum fuit Quintæ Mundi Ætati, quæ protenditur usque ad finem captivitatis Babylonicæ, scilicet usque ad annum m. 3469.* Sequitur introductio Arcæ in Templum, hujusque consecratio; multaque alia memorabilia Salomonis gesta. Ejus demum deplorandæ per concubinas depravatio, et denique obitus c. 11. qui accidit an. m. 3029. ætatis circiter 58vo Regni 40mo

Reliquis capitibus commemoratur Regni divisio, et defectio decem Tribuum ad Jeroboamum, cujus ipse Roboam Salomonis filius, Israëlitarum animis, dato ipsi inconsulto responso, à se abalienatis, Autor fuit, saltem in speciem, et secundum rerum humanarum cursum; enimverò jam longè prius Jeroboamo decem Tribuum imperium à Deo per prophetam Ahiam assertum fuerat.† Describitur

233.
* Quinta mundi ætas à jactis Templi fundamentis usque ad finem Captivitatis Babylonicæ: ab an. m. 2992. ~~m. 2992 ante~~ ante Christ. 1008. ante Eram 1012. usque ad an. m. 3469. ante Christum 531. ante Eram Christianam vulgarem 535. quo anno Sexta mundi ætas sumit initium.

† 3. Reg. c. 11. v. 31.

218. ~~222.~~ Jeroboami Regis Israël impietas in erigendis vitulis aureis. Gesta Succedentium Regum Juda et Israël narrantur, ut Abia, Asa, et Josaphat, Regum Juda: Nadab, Baasam, Elam, Zambri, Amri, Thebni, Achab, quem excepit Ochozias ejus filius, Regum Israël. Elia quoque Propheta memorabilia gesta adnotantur.

234. Liber 4tus Regum 25. Capitibus 229. annorum gesta, et historiam refert, tam in Regnô Juda, quàm Israël, ab an. m. 3108. usque ad an. 3442.

Primus ergo inter Reges Israël ocurrit Ochozias filius Achab, qui Beelzebub* Deum Accaron super egritudine sua consulit; unde et Elias ob id scelestum faciens ei mortem prædicit. Succedit ei Joram frater ejus. Elias igneô curru rapitur in Coelum, præsente, et videente Eliseô individuô ejus comite, super quem et Spiritus Elia requievit. Joram à Jehu occiditur, atque universa Domus Achab deletur, ut et Sacerdotes Baal. Jehu Succedit Joachaz, qui impia Jeroboami filii Nabath vestigia terens, multis sceleribus inquinatus est; quamobrem furor Domini in Israëlem exarsit, atque populum hunc totô impii Regis hujus imperiô Hazaëlis Regis Syriæ, et Benadad filii ejus arbitrio reliquit; Sed idem Joachaz tandem ad Dominum conversus liberatur; cui mortuo Succedit filius Joas, qui juxta Elisæi morienti vaticinium Syros ter devicit. * Mortui autem Elisæi Sepulchro injecto mortui viri cadaver; tactis ipsius ossibus, ad vitam mortuus resuscitatur, c. 8. v. 21. Joas etiam

* Beel-Zebul, sive Beel-Zebul, sive Beel-Zebut sonat idem ac Deus muscarum Accaronitarum idolum. In Novô Testamentô Beel-Zebub sæpè Princeps Dæmonum appellatur. Accaronitæ autem dicti sunt ab Urbe Accaron in Palestinâ olim Philistinorum. Hodie nonnisi pagus est.

235. * Argumentum pro Catholicis contra Acatholicos pro Sanctorum reliquiarum veneratione.

patris iniquitatem, et impietatem sentiens
à Deô defecit instar Jeroboami filii Nabath,
qui Israëlem ad peccatum induxerat; In-
signi tamen victoriâ Amasiam Regem
Judæ prostravit. Ei succedit filius Je-
roboam nomine secundus, atque Israë-
lem ab angustiis liberat; cui succedit
filius Zacharias, hic sex tantùm mensi-
bus imperavit, et quemadmodùm Pater,
mala coram Dominô operatus est, atque
à Sellum filiô Jabes proditione sublatus
est; hic regnum mense unô duntaxat obtinuit à Manahem filiô Gadi
in Samariâ oriundus, qui cùm excercitui
Zachariæ præesset, auditâ ejusdem ne-
ce, thecâ movens Samariam obsedit,
in qua Sellum, post à se truncatum
Regem Zachariam, imperabat; recep-
ta urbe Manahem Sellum truncavit,
regnúmque occupavit, ~~idem~~ atque
decennió ~~tenuit~~ tenuit Jeroboami fi-
lii Nabat primi Israëlis Regis non tam
Regni, quàm scelerum hæres. Succe-
dit Phacea filius ejus, qui per bien-
nium duntaxat regno præfuit, impi-
us et ipse conjuratione Phacee filii Re-
melia in regiô Palatiô oppressus est;
Phacee igitur Phaceia copiarum Dux,
versis in Dominum suum armis in
Regia Domûs turri clausum obsedit
captóque munimentô Regem occi-
dit, ac imperium occupavit; pra-
vum etiam Jeroboami filii Nabat
exemplum secutus est. Eo regnan-
te Teglathphalasar Rex Assyrio-
rum ditionem Israëlis invadens, Ion,
Abelmaacha, Janoe, Cedes, Asor, Ga-

~~124. 234.~~ laad, totáque regione Nephtali occupatis, incolas in Assyriam tradunit. Phacee autem initâ ab Osee filiô Ela conspiratione tandem sublatus est. Osee ultimus Rex Israëlis, interfectô per insidias Phacee, regnô potitus est. Hic quamvis scelestus, suorum tamen Majorum impietatem non æquavit, quippe subditis suis non interdixit, quominùs Jerosolymam pergerent ad cultum Domino exhibendum. Cùm ab Assyriæ Rege Salmanassar defecere attentasset, hic comparatô exercitu Samariam obsedit, eámque triennio post, Regni Osee scilicet annô nonô, mundi 3283. occupavit, necnon tantâ in illam crudelitate sæviit, ut mulieres gravidas disciderit, earum parvulos elisserit, ipsámque urbem in acervum lapidum converterit, decémque tribuum Israëlitas, quos Teglathphalassar inius regionibus adhuc reliquerat, ultra Euphratem transtulit; eisque substituit Cuthæos populos Assyriæ, qui in hanc usque diem Samaritani appellantur*.

Ita regni Israëlitici post 254. annorum spatium exitus.

* vid. Not. supra pag. 194.

230. Sub his Israëlis Regibus plures extitêre in Regnô decem tribuum istarum insignes Prophetæ, Addo, Oded, Ahias, Elias, Elisæus, Osee, Amos, Jonas, aliique.

237. In Regnô Judæ inter quamplurimos impios, paucos Religiosos Principes commemorat hic Quartus Regum Liber. Primus occurrit Josaphat filius Asa; hic regnum 25. annis obti-

221.

nit, Deo semper acceptus, excelsa, et luos, in quibus infanda exercebantur, evertit; nec tamen efficere potuit, ut populus se ad Deum penitus, et omninò converteret. Joram filius ipsius triennio post Patrem solus imperavit; ab Athaliâ Achabi Regis Israël filiâ quam duxerat uxorem, ad idololatriam, aliâque flagitia abductus regnum suum plurimis calamitatibus opplevit; adeò languore correptus, postquam eò morbò per biennium laborasset, tandem interiit.

Ochozias post patrem Joram regni gubernacula annò ætatis 22. arripuit, et unò annò tenuit. Pessima Achabi vestigia cujus consanguineus erat, relegit. At Jehu, qui in Joram Regem Israëlis conjuraverat, unacum eo, quem invisserat, oppressus est. Athalia, cùm audisset, Ochoziam filium suum, et 42. regii sanguinis Principes à Jehu neci traditos fuisse, reliquos è stirpe regiâ deleri curavit, ut, sic cæteris, qui residui remansserant, sublatis, ipsa vacuum regnum occuparet. Verùm Jotaba filia Regis Joram, et Regis Ochoziæ soror, cùm filii Regis cederentur, Joas Ochoziæ filium unàcum ejus nutrice clam subtraxit, atque in Templò nutriendum summo Sacerdoti Jojadæ tradidit. Post sex annos Jojada, convocatis Sacerdotibus, et Levitis, eisdem consilium suum aperuit, regni scilicet ad legitimum Regem Joas revocandi, qui, cùm præstò se adesse significarent, nullâ morâ interpositâ Joas, multitudine acclamante, ~~Joas~~ Rex salutatus est. Athalia eo clamore excitata ad Templum cucurrit, novumque

238

5101

Regem intuita, discissis vestibus, proditionem clamavit; at à Levitis, annuente Jojadâ Summô Sacerdote extrâ Templum rapta, atque usque ad portam equorum tracta, ibidem jugulata est annô usurpati ab ipsâ regni septimô.

239. Joas igitur abrupatâ, ut mox dictum, per Athaliam regiâ potestate annô septimô in Templô Rex acclamatus, annis 40. Regnum Jerosolymis tenuit. Quamdiu Jojada Summus Sacerdos vixit, æquissimè imperavit, quavis excelsa non auferet; at eô mortuô ad idola deflexit, Zachariámque Pontificem Jojadæ filium multis adhortationibus ipsum ab impietate avertere conantem, immemor beneficiorum à patre illius acceptorum, occidit. In de variis calamitatibus, atque à Syris penè oppressum Servi, Zacharia sanguinem ultori, in lecturlô suô truncarunt.

240. Amasias patre occisô 25. annos natus regnum capessivit, atque 29. annis Jerosolymis obtinuit. Quod bonum erat coram Dominô egit, at non corde perfectô. Victis Idumæis Deos eorum coluit, victus ipse postmodùm à Rege Israëlis. Tandem conjurationem suorum occubuit an. m. 3194.

241. Ozias ejus filius, aliô nomine Azarias dictus à 16. ætatis suæ annô spatiô 52. annorum regno præfuit; Legem Dei sanctè servavit. De Philistæis, Ammonitis, Arabibus triumphavit. Jerosolymæ munitiones auxit. Exercitum 307500. virorum habuit.

223.

Agriculturâ delectatus plurimos agricolas in arvis, vinearum custodes in collibus, pastores in vallibus destinavit. Cum denique in Templô Sacerdotale offerendi incensi munus usurpasset, continuò lepra percussus est, quare, ab hominum consortiô segregatus, privatam vitam extra Urbem egit usque ad mortem suam, quæ contigit an. m. 3246. ante Chr. 754. ante Ar. 758.

243. Joatham, patre lepra percussô, regni suscepit habenas quidem, sed primùm post annos 25. nempe post mortem patris, Regio nomen auspicatus, solùsque imperavit. Domino adhæsit, excelsa tamen non delevit, in quibus adhuc populus immolabat. Ammonitas defectionem tentantes profligavit, ac denuò vectigales fecit. Obiit an. m. 3262. ante Chr. 738. ante Ar. 742. Paulò ante ipsius mortem, Rasin, et Phacee ille Syriæ, iste Israëlis Reges adversùs eum moverunt, de quo bellô certè nihil constat, nisi, quòd initiô regni Achaz filii, et successoris ipsius Judæ regiones maximis calamitatibus laborasse, Isaias commemorat*.

* c. 1. v. 1. p.

243. Achaz impietate celeberrimus, gentium numina coluit, atque Idolo Moloch* filium suum igne consecravit. Variis bellis à Razin Syriæ Rege, et Phacee Rege Israëlis penè oppressus, ab Assyriorum Rege adversùs eos suppetias petiit, missôque ad ipsum quindecim auri, et argenti templum habebat, in suas partes eum traxit.

* Moloch, sive Melchom Deus Ammonitarum. Moloch Regem sonat, et Melchom, Eorum Regem. Eo Solem, sive cœli Regem exprimebant.

224. ~~218. 219.~~ Amotô etiam è Templô Altari Aneô, illius locô profanum collocavit. Obiit Jerosolymis an. m. 3278. ant. Chr. 722. ant. Ar. 726.

244 Ezechias annos natus 20. patri successit, regnúmque 28. annis tenuit. Bius, et Religiosus, omni idolorum cultu exterminatô, verum ac uni Deo debitum restituit. À Babô, quod ei Sennacherib Assyriorum Rex intulerat, per miraculum liberatus est. Agrotans ad mortem, sanitatem, et 15. adhuc annorum vitam à Deo impetravit. Tandem post comparatas ingentes divitias obiit an. m. 3306. ant. Chr. 694. ant. Ar. 698.

245. Manasses duodennis rerum potitus 55. annis post patrem regnavit. Scelera sectatus, idola nationum, eorumdémque impium cultum à patre deletum restituit. Filium suum in honorem Moloch per ignem tradunit. Hisce aliis criminibus ultimam veluti manum sævities imposuit; siquidem innocentum sanguine à se impiè effusô tota urbs Jerosolyma exundavit. Isaiam extrema quaque ipsi, nisi resipiscret, prædicentem in carcerem conjecit, ac tandem serrâ ligneâ medium scindi jussit. Demum impietatis suæ pœnas daturus ab Assyriæ Rege bebô petitus, ac captus, Babylonem perductus est; ibi in vinculis detentus multis lacrymis, et gemitibus à Deo scelorum veniam postulans, libertatem, et reditum in Jerusalem impetravit; regnóque restitutus nihil habuit antiquius, quàm ut collapsam disciplinam restauraret, atque subditis suis colendi, quærendíque Dei au-

6.102

tor esset. Diem clausit Jerosolymis an. m. ~~245.~~ ~~249.~~ 225.
3361. ant. Chr. 639. ant. Dr. 643.

Amon Manassis filius duobus tantùm annis regnum tenuit. Cultui veri Dei idola substituit Princeps scelestissimus. Domesticorum conjuratione oppressus est. 246.

Josias Amonis filius octo natus annos regnum assumpsit. Ætatis suæ 20mo. Regni verò 12mo. annò, excelsa, lucos, simulacra, et sculptilia omnia Judæ, et Jerosolymæ penitùs evertit. Sacerdotum ossa in altaribus Idolorum combussit, necnon Ephraim, Manassis, Simeonis, et Nephtali Tribuum peragratis urbibus, omnia idololatriæ monumenta ubique delevit, ac demùm Jerosolymam regressus est. Templi restaurationi sedulò inerbuit. Moysis volumen, in quo lex Dei conscripta erat, in Templò repertum coram populò legit, omnésque ad præcepta Domini servanda sacramentò adstrinxit. Tandem post res optimè gestas, cum Pharaone Nechaò Ægypti Rege propè Mageddo ad montis Carmeli radices prælio congressus, lethali vulnere, telò in illum jactò, confossus est, atque Jerosolymam deportatus ibidem obiit an. m. 3394. ant. Chr. 606. ant. Dr. 610. 247.

Joachaz, aliàs Sellum, Josiæ filius 23. natus annos regnum vehitur; sed post tres menses à Nechaò Ægypti Rege imperiò spoliatus, atque catenis vinctus in Ægyptum amandatus est, ubi et decessit è vitâ. 248.

Eliacim, sive Joakim Joachazi frater à Nechaò Judæ regno præficitur 249.

2 226.
~~230.~~ ~~229.~~ 25. annos natus, quod et 11. annis tenuit. Multa scelera in Deum patravit, subditos iniquè oppressit, servos mercede fraudavit, avarus, et inhumanus, ad omnia flagitiorum genera deflexit. A Nabuchodonosore Babyloniorum seu Chaldæorum Rege, qui Necham Ægypti Regem dejecerat, quartò regni sui annò captus, ac in vinculo conjectus, immò, prout alii referunt, Babylonem deductus est, sed posteà libertati restitutus. Cùm verò postmodùm illius imperium denuò detrectaret, tum Nabuchodonosor immissis in Judæam copiis, totâ regione devastatâ, Judæisque ter mille viginti tribus Babylonem abstractis, ipsemet Joakim captus, cæsus, ac in cloacam abjectus est, an. m. 3405. ant. Chr. 595. ant. Ær. 599.

250. Jechonias, sive Joachim filius Joakim attritum patrium regnum, ~~quod ipse usurpato perdiderat, jam annos undecim~~ ~~patre~~ mortuò tribus tantùm mensibus habuit, duodeviginti annos natus. Scelestissimus Princeps captivus Babylonem abductus, ibidem obiit, verùm non sine præmissâ, uti creditur, pœnitentiâ, quâ Dei misericordiam ante mortem promeruit. Id saltem legimus, Evilmerodach filium Nabuchodonosoris Successorem, illum è carcere ejectum magnò in honore habuisse, necnon Principem inter cæteros Aulæ suæ Proceres locum eidem concessisse.* 7 163

g * 4. Reg. c. 25. v. 27.

251 Sedecias alio nomine Matthanias Jechoniæ patruus Rex Judæ à Nabuchodonosore annos natus 21. constitutus est, atque regno 11. annis præfuit. Princeps sanè irreligiosus, qui, contemptis Jeremiæ Prophetæ minis, Deo surdas semper exhibuit aures. Regni sui annò nonò Nabuchodonosoris jugum excussit; at Na-

bucholdnosor, expugnatis Judæa munitio- 227.
nibus, tandem Jerosolymam ipsam subegit, 231
Templum suscendit, captumque Sedeciam luminibus orbavit, atque catenis onustum Babylonem unacum populo abduxit an. m. 3416. ante Chr. 584. ant. Cr. 588. ubi et interiit. Godoliam verò filium Ahikam filii Saphan reliquiis populi in Judæâ relictis præfecit.

Is finit exitus Regni Juda post 468. annorum spatium, quot videlicet ab initio à Davide regno numerantur; seu post 388. à divisione Regni Juda, et Regni Israël, seu decem tribuum. Hique sumunt initium 70. captivitatis anni usque ad annum m. videlicet 3487. ant. Chr. 513. ant. Cr. 517.

Sub his Regibus frequentes in Judâ 252.
fuerunt Prophetæ, Addo, Ahias, Semeias, Hanani, Azarias, Jehu, Isaias, Jeremias, Sophonias, Holda, Michæas, Joël, aliique, quorum gesta, ut et insignium Regum in hoc libro exactè describuntur. Et hæc est quatuor Regum librorum epitome.

De Scriptore, vel potius Scriptori- 253.
bus horum librorum non convenit inter Doctos. Quidam priores duos Samuelis tribuunt; sanè hi bini libri in originali Hebraeo illius nomen præfixum habent. Ei tamen Thalmudistæ*, et Rabbi Kimchi nonnisi 24. capita primi libri assignant, in quibus nempe res ab eo, et à Saule, necnon Davide gesta, ipso adhuc in vivis agente, describuntur. Cætera verò Gad, et Nathano deputant, juxta illud 1 Paralip. c. 29. v. 29. Gesta autem Davidis priora et novissima

* Thalmudii sectatores et expositores, ut sup. num. 46. jam notavimus. Talmud autem, ut ibidem diximus, est Corpus totius juris sacri et moralis Judæorum. In duas partes distribuitur, quarum una Misna,

altera Gemara minuitur. Prima scilicet Legem sonat, continetque traditiones Doctorum Judaeorum. Gemara autem idem est, ac complementum quâ scilicet ultima manus Mina est impositâ. utraque absurdis fabulis abundat.

Scripta sunt in libro Samuelis Videntis, et in libro Nathan Prophetae, et in libro Gad Videntis.

At contrâ hanc opinionem facere videntur plura, quae in his duobus primis Regum libris occurrunt, atque Samuele, Gad, et Nathanô recentiorem aetatem denotant. 1.o Samuelis aetate Sermo Domini erat pretiosus, id est, rarus, 1. Reg. c. 3. v. 1. Quae verba Auctorem produnt Samuele recentiorem, et cujus aevô frequentiores erant Prophetae, quàm sub Samuele. 2.o Ib. c. 13. v. 5. prodit idem Auctor, urbem Bethel suâ aetate Betharen, id est, Domum iniquitatis appellatam esse. Atqui invisum nomen istud urbs ista primùm accepit, postquam in ea Jeroboam hos vitulos aureos collocavit; quod longè post horum Prophetarum tempora factum fuit.

3.o 1. Reg. c. 27. v. 8. Davidis excursiones in regiones Gessur, et Gersa commemorans Auctor, simul notat, eandem regionem olim, id est, tempore Davidis, à Sur usque ad Aegyptum frequentibus incolis cultam fuisse; quo innuere videtur, suâ aetate hanc regionem, et quidem à longô jam tempore desertam, et devastatam jacere. 4.to Ib. c. 9. v. 9. ait Auctor, Cosvivos, qui olim Videntes appellabantur 1. appellatos autem fuisse Samuele invivis agente constat; suâ aetate Nabi, id est, Prophetas dictos fuisse. Ergo hic Auctor videtur Samuele recentior. 5.o Ibid. c. 27. v. 6. ait, Urbem Siceleg ad Reges Juda pertinere ab eo tempore, quo David illius possessionem ab Achis obtinuit; quod probare videtur, cum primùm post divisionem Regnorum Juda et Israël Robo-

S. 104

229 ~~229. 233.~~

annum ~~inter~~ filium Salomonis inter, et Jerobo-
amum Regem Israël floruisse; eóque tem-
pore, quo quamvis Tribus Simeon subjecta
esset Regibus Israël, urbs tamen Siceleg in
hâc Tribu sita Regibus Juda parebat.

6°. Ibid. c. 30. v. 4. et 25. testatur,
Legem, quam David tulerat in milites,
ut scilicet præda æquali sorte dividereturur
inter eos, qui ad prælium descendissent, et
illos, qui ad Sarcinas remansissent, hâ ad-
huc ætate vigere: factum est hoc ex illâ die,
et deinceps.... quasi lex in Israël, usque in
diem hunc. Atqui hoc nec Samuelí, qui
eo tempore jam vitâ functus erat, nec Na-
thano, nec Gad, qui ipsâ Davidis ætate vi-
vebant, convenire videtur. 7mo

254.

Jb. c. 5. v. 5. memorat, Sacerdotes Dagon*
in memoriam eorum, quæ huic suo idolo
ad præsentiam Arcæ Domini humi dejecto,
manibus pedibúsque à trunco avulsis in Tem-
pli vestibulo jacentibus, acciderant, non cal-
care pedibus limen Templi sui usque in ho-
diernum diem; quæ verba satis remotum
tempus indicant.

* Dagon erat Philistæorum Numen mulierem referens, seu mulieris figuram. Ajunt fuisse Deum, vel Deam frumenti.

Hæc tamen, et alia plura, quæ pas-
sim in his duobus prioribus Regum libris
ad idem argumentum comparata occurrunt,
minimè officere videntur, quin eos partim
Samuel, partim Gad, et partim Nathan scrip-
sisse dicantur; quorum Scriptiones, seu
potiùs monumenta postmodum quidam
recentioris ævi Scriptor compilarit, atque di-
gesserit, neinon majoris nitoris, et claritatis
gratiâ eorumdem periodos, et dictiones quas-
dam ad suam ætatem, additis etiam, quæ
sensum illarum illustrarent, vocabulis, accom-
modaverit. Quare si Esdram divinò
sanè Spiritu afflatum hos libros recensuisse

B. O. 105

230.
~~234.~~ ~~218.~~ dixerimus, quidpiam rationi summâ conveniens proferre nos arbitrabimur. Id persuadere videntur tum horum librorum idea, et ratio, tum mirus ubique gestorum, animadversionum, narrationumque consensus, tum denique Stylus æquabilis, atque perpetuus narrationis contextus.

255. Tertii porrò et Quarti Regum Libri Auctorem, atque etiam ætatem definire, paris operæ negotium est.

Duobus Scriptorum seu Auctorum generibus libri Regum adscribendi videntur, 1º illis nempe, qui Annales, et Commentarios rerum suâ ætate gestarum descripserunt, utpotè ad quos Scriptores, seu commentarios, et Annales in his libris Lector frequentissimè revocentur, et remittantur, præcipue autem in Paralipomenis.* 2º Scriptoribus recentioris ævi, qui ex his annalibus, et Commentariis historiam suam digesserunt.

Vetera monumenta illa nusquam extant amplius, extitisse tamen olim, vel ex eo constat, quòd in memoratis Regum libris eorundem frequens occurrat mentio.

Hasce historias è veteribus monumentis illis digessisse, neuon horum binorum posteriorum de Regibus librorum Auctorem esse, seu potiùs compilatorem Esdram, communis est opinio. Patet illos esse unius Auctoris opus, 1º ob Styli æqualitatem, dictorumque, et gestorum connexionem. 2º Auctor illorum ex antiquis, quæ pones se habebat, monumentis historiam suam compilavit, quippe ad quæ Lectorem frequenter remittat. 3º Scribebat, aut ipso Captivitatis Babylonicæ tempore, aut post illam, ut qui de illâ

* 1 Paralip. c. 29. v. 29. remittitur lector ad libros Samuelis, Nathan, et Gad. 2. Paral. c. 9. v. 29. ad lib. Ahiæ, et Addo Propket. c. 12. v. 15. ad libros Semeiæ, et Addo. c. 13. v. 22. ad librum Addo Videntis. c. 16. v. 11. ad librum Regum Juda. c. 20. v. 34. ad verba Jehu filii Hanani, quæ digessit in libros Regum Israël. c. 25. v. 26. ad libros Regum Juda et Israël. c. 26. v. 22. ad Scriptiones Isaiæ filii Amos Prophetæ. c. 27. v. 7. ad librum Regum Israel et Juda. c. 28. v. 26. ad eundem lib. c. 32. v. 32. ad visionem Isaiæ Prophetæ, et librum Regum Juda et Israël. c. 33. v. 18. ad Sermones Regum Israël. c. 35. v. 26. et 27. ad librum Regum

231.

jam quasi per triginta annos durante mentionem facere videatur lib. 4. Reg. c. ult. Scribátque c. 17. v. 23. Decem tribus suâ adhuc ætate Assyriorum premi servitute, ob crimina sua nempè, secundùm Prophetarum prædictiones. 4°. Animadversiones, et recapitulationes, quas subinde texit, probant, eum iis, quæ scribit, non fuisse contemporaneum, verùm quòd sub fide monumentorum quæ penes se habet, scribat*. 5°. omninò verisimile est, eum fuisse Sacerdotem; totus enim est in describendis iis, quæ Templum, Religionem, Cæremonias, Festa, cultum Divinum, Principum pietatem, Prophetarum constantiam, Criminum punitionem, Dei in impios vindictam, et in justos pietatem respiciunt. Magnam præterèa in Davidis familiam propensionem prodit; de Regibus Israël autem nonnisi perfunctoriè, et quasi per transennam duntaxat loquitur, totus in recensendis Regum Juda gestis.

Juda et Israel. c. 36. v. 8. ad eundem librum.

* lib. 4. Reg. c. 20. et seq. usque ad c. 24.

Quæ omnia cùm Esdræ apprimè conveniant, valdè probabile est, eum horum librorum Autorem, aut, si mavis, Compilatorem esse.

Verùm, ne quidquam hic nos omisisse videamur, referenda etiam nobis sunt ea, quæ in iis libris reperiuntur Esdræ ætati non satis, prout aliquibus videtur, convenientia. 1°. cùm idorum Autor scribit, Arcam hâ adhuc ætate in Templo servari, 3. Reg. c. 8. v. 8. 2°. Regna Judæ et Israël etiamnum existere, Ib. c. 12. v. 19. 3°. Mensium Dio, et Bul nomina commemorat, Ib. c. 6. v. 1. et 38. quæ tamen nec Hebraïca sunt,

256.

236. 232. nec Chaldaica, atque ætate Esdræ prorsus in oblivionem abierant. 4.to Ubique fermè loquitur, tanquam rebus, quas narrat, contemporaneus, quamvis Esdras iis rebus, et gestis longè posterior fuerit.

237. At hæc omnia facilè cum nostrâ sententiâ conciliari possunt: Dicimus enim, Esdram ea antiqua, quæ penes se habebat, Annalistarum, et Prophetarum monumenta ita compilasse, ut ferè semper illa de verbo ad verbum reddiderit; quo candor, et veritas hæ narrationis apprimè commendatur; utpotè, qui Religioni duxerit, vel in minimô monumentorum horum sensum aut verba immutare.

238. Superest hîc modô, ut etiam iis respondeamus, quæ contra veritatem, et autoritatem horum Quatuor de Regibus librorum objici solent, atque quidam illorum textus, qui difficultatem aliquam parere videntur, à nobis exponantur. Igitur

Ob. 1.o 1. Reg. c. 13. v. 13. ait Samuel ad Saulem, quòd, si ipse illa, quæ Deus ei præceperat, custodivisset, jam nunc Dominus præparasset Regnum ipsius super Israël in sempiternum. Atqui longè jam antèa Regnum istud Tribui Judæ fuerat promissum, ut constat Gen. c. 49. v. 10. ubi Jacob Patriarcha sic vaticinatur: Non auferetur sceptrum de domô Juda, nec dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est.

Resp. adduti textus non eodem modô Regnum Israël Saulî, et Juda promittunt et prædicent. prior enim conditionatè tantum promittit idem Saulî; posterior verò absolutè illud Judæ promittit: hoc est, Saulî promittitur sub

conditione, seu ex hypothesi, quòd fideliter 233.
Dei mandata servaret; et quia longè antèa praeviderat Deus, Saulem à tali conditione deflexurum, et mandata ha fideliter non servaturum; ideò etiam longè antèa Patriarcha Jacobi ore absolutè praedicere potuit, Sceptrum illud in Domò Judâ permansurum usque ad Messiae adventum.

Ob. 2.do 2. Reg. c. 8. v. ult. Dicitur 259.
filii autem David Sacerdotes erant; et tamen David non erat de Tribu Levi, sed de Tribu Juda, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est, inquit Apostolus, Heb. 7. v. 14.

Resp: vox Hebraea Choken, quamvis significat Sacerdotem propriè dictum, tamen interdum usurpari ad designandum Principem, Magnatem, Praesidem, vel populi Ducem, qui omnes, quia apud Regem ita familiares sunt, ac Sacerdotes apud Deum; ideò per Catachresim, seu vocabuli abusionem familiares, seu Magnates, et primi apud Regem vocantur interdum Sacerdotes; si ergo etiam filii David, quia primi ad ipsius manum erant, ut habetur 1. Paralip. c. 18. v. 17. Sacerdotes hoc loco nuncupantur.

Ob. 3.tio Lib. 3. Reg. c. 6. v. 1. Dicitur 260.
Salomon aedificare coepisse Templum Domini annò quadringentesimo octuagesimo post egressum filiorum Israël ex Aegyptò. Atqui ex libris Josue, et Judicum habemus, longè plures annos abisto egressu effluxisse usque ad coeptum à Salomone Templi hujus aedificium. Ergo.

Ad hanc objectionem varii varia respondent. 1.o Quidam ajunt, locum hunc esse vitiatum, et locò Quadringen-

~~238.~~ ~~[illegible]~~. tesimô legendum esse Quingentesimô.

2.º Alii dicunt, citatô locô intelligi tantùm annos illos, quibus Israelita ab egressu suô ex Ægyptô Judices habuêre, non verò illos, quibus Judicibus destituti, in servitute, et oppressi fuerunt. 3.º Volunt alii, annos illos, quibus dicuntur Hebræi fuisse oppressi, sub illis annis contineri debere, quibus Judices habuisse dicuntur, ita ut e.g. anni Judicis alicujus, qui antequam demò opprimerentur, et in servitutem redigerentur Hebræi, rebus illorum præfuit, toto illius oppressionis tempore adhuc numerari intelligantur. 4.to Alii censent, Judices illos non fuisse universales, et successivos, adeo ut varii in variis Hebræorum partibus simul vixerint; nec etiam pariter ~~[illegible]~~ invasiones hostium fuisse universales, et successivas, sed simul quandoque in variis locis audisse. 5.º Alii communi consensu tuentur, verò spatium illud ab egressu filiorum Israel usque ad ædificationem templi, quæ contigit an. m. 2993. an. 4.to regni Salomonis mense 2. die 2. fuisse 480. annorum, non egressi sunt Israëlitæ ab Ægyptô an. mundi 2513. Templi autem fundamenta à Salomone jacta sunt an. m. 2993. ut dictum nempe illius anni mense 2. die 2. Quod si annorum, qui inter illud spatium effluxerunt, computus iteratur, tunc invenietur, illos numerum 480. annorum numerum æquare. Unde subinde in libro Judicum, ubi ponitur numerus cardinalis annorum, intelligi oportet numerus ordinalis; sic, cùm e.g. Judicum c. 3. v. 11. dicitur quievisse terra

quadraginta annis, idem sit, ac si diceretur 235 ~~240~~.
quievisse quadragesimo anno post quietem
scilicet in eâ à Josue primùm constitutam.
Hæc opinio eo potissimùm firmatur, quòd,
dum hic, et alibi in libro Judicum Vul-
gatæ nostræ editionis legitur quadra-
ginta, vel octuaginta annis, vox hæc
annis in Hebræo legatur in singulari
numero Schanah, non verò in plurali
Schanim.

Ob. 4.to Eodem c. 6. v. 38. ejusdem 261.
libri Tertii Regum Templum Jerosolymi-
tanum à Salomone ædificatum, dici-
tur coeptum, et perfectum intra septem
annos, fuit enim coeptum anno 4.to Regni
Salomonis, et perfectum anno ejusdem
undecimo. Atqui Joan. c. 2. v. 20.
dicitur non fuisse ædificatum nisi 40.
annorum spatio. Ergo p.

3. 207

Resp. Apud Joannem Sermo non
est de Templo à Salomone ædificato, sed
de illo, quod ædificavit Herodes, aut saltem
ædificare cœpit, et quod 46. annorum spa-
tio duntaxat perfectum est.

Ob. 5.to Ib. c. 15. v. 14. Dicitur de 262.
Rege Asa, quòd excelsa non abstulerit;
et tamen 2. Paralip. c. 14. v. 2. contra-
rium de eo aperitur. Ergo p.

Resp. fuêre apud Judæos duplicis
generis excelsa, hoc est, altaria, templá-
que in altioribus locis erecta, videlicet
alia, quæ erant falsis numinibus dicata,
alia autem, quæ vero Deo sacra erant;
priora abstulit, et evertit Asa, ut habe-
tur 2. Paralip. posteriora verò non ab-
tulit, ut dicitur loc. cit. 3. Reg.

236. ~~240.~~ ~~239.~~ C Ob 6.to Ibid. c. 22. v. 15. Mentitus
263. videtur Michaas Propheta, dum interrogatus ab Achab, an ire deberet ad praeliandum, nene? respondit, Ascende, et vade prospere, et tradet Dominus in manus ~~Prospe~~ Regis p.

Resp. Michaam ibi non ex hâ, sed Regis Achab, falsorumque Prophetarum ipsius mente loqui, et ironicè duntaxat, ut sic per ironiam loquendo, Regem ipsum à falsis suis Prophetis deceptum ostendat, prout subsequentes citati Cap. textus manifestè declarant.

264. Ob. 7.mo Lib. 4. Reg. c. 8. v. 26. dicitur Ochozias viginti duorum annorum fuisse, cùm regnare coepit; et contrà 2. Paralip. c. 22. v. 2. dicitur fuisse tunc quadraginta duorum annorum. Ergo p.

Resp. Mendosum ac vitiatum esse illum Paralip. c. 22. v. 2. textum, et ibi ponendum ac legendum esse viginti duorum, ut 4. Reg. c. 8. legitur, non verò quadraginta duorum. Ratio est, 1.o Quia tam in Syriacô, quàm in Arabicô textu, et etiam in versione Septuaginta Interpretum jussu Sixti V. Papæ à Cardinali Caraffa Romæ an. 1587. editâ legitur cit. cap. Paralip. viginti duorum, et non quadraginta duorum. 2.o quia aliàs sequeretur, Ochoziam suô patre Joram biennio seniorem fuisse; nam Ochozias statim, et immediatè post Patrem suum Joram coepit regnare; vixit autem Joram pater quadraginta duntaxat annos; ergo si Ochozias fuisset quadraginta duorum annorum, cùm regnare coepit, sequeretur evidenter,

dicendum fore, quod Ochozias patre suo Jo- 237 ~~241~~.
ram biennio senior fuisset, quod plusquam
absurdum est.

De libris Paralipomenon. 265.

Paralipomena nomen Græcum sonat idem ac Prætermissa, quo duos historicos Sacræ Scripturæ libros ideo intelligimus, qui libris Regum Supplementi loco adjecti sunt, quibus nempe res in illis prætermissæ, vel per compendium duntaxat narratæ, exhibentur. Hebræi ideo Dibrejamim, id est, verba dierum, seu Ephemerides nuncupant, alii Chronica eos appellant.

Primus Paralipomenon liber compendio repetit, ac enarrat propagationem gentis Israëlitarum ab Adamo usque ad Salomonem, et veluti methodo Chronologica breviter partim ea perstringit, quæ in Pentateucho, libris Josue, Judicum, et Regum duobus prioribus jam recensita fuere; et partim, quæ ibidem prætermissa fuerant supplet.

Secundus à Salomone incipit, neque ea describit, quæ evenerunt ab unctione Salomonis in Regem usque ad liberationem populi Judaici à captivitate Babylonica, seu usque ad tempus illud, quo Cyrus Persarum Rex Judæis ad propria remeandi facultatem dedit, usque ad finem scilicet Sextæ mundi ætatis, et initium Septimæ*, quod incidit in an. m. 3469. ant. Chr. 531. ant. Dr. 535. Qua sexta mundi ætas protenditur usque ad Adventum Christi, qui incidit in an. m. 4000. quo Septima mundi ætas incipit, usque ad finem illius duratura.

in 2ta 108

* Sexta mundi ætas à liberatione populi Israëlitici à captivitate Babylonica usque ad adventum Christi. ab an. m. videlicet 3469. ant. Chr. 531. ante Dr. 535. usque ad an. m. 4000. ante

aram Chr. 4. quo Septima mundi ætas inierit duratura usque ad finem mundi; nisi, quod nemo sit, nova quædam et prodigiosa Epocha addat octavam; et alia alias. 288.

Multa in hoc secundo Paralipomenon libro repetuntur, necnon clarius et fusius pertractantur, quæ in duobus Regum posterioribus strictim, et obscurius adnotata jam fuerant.

Horum binorum librorum Auctor etiamnum latet. Vulgo Esdræ adtribuntur, ex ratione, quòd primùm post Captivitatem Babylonicam exarati fuerint. Id probare videtur 1º. Styli similitudo, atque annotationes post deductam interdum longam eventum seriem adjectæ. 2º. Quòd Auctor post Captivitatem illam floruerit, constat ex relato ibidem c. ult.* Cyri pro Judæorum libertate decreto; prout etiam ex genealogiâ Davidis usque ad Zorobabelem deductâ, qui Judæos è captivitate reduxit. 3º. denique ex phrasibus Esdræ ætate peculiariter usitatis.

* Lib. 2. paralip. c. ult.

Verùm his conjecturis officere videntur sequentia: 1º. genealogia Zorobabelis, quæ ad duodecimam usque generationem deducitur. Atqui Esdras non potuit supparis sibi viri generationes videre. Ergo &c. 2º. Sæpè Auctor eundem rerum statum suâ ætate manifestè innuit, quo e.g. sub Salomone, et ante captivitatem fuerat*. Atqui hoc de suâ ætate Esdras affirmare non potuit, cùm tunc rerum Judaicarum status longè diversus esset ab eo, qui fuerat Salomonis, et ante captivitatem tempore. Ergo &c.

* 1. paralip. c. 4. v. 41. et c. 5. v. 22. et 26. Item 2. paralip. c. 5. v. 9. et c. 8. v. 8. ac denique c. 21. v. 10.

Responderi potest, ad 1mum Hanc Zorobabelis genealogiam deinceps his libris fuisse additam.

Responsio autem ad 2dum ex iis habetur, quæ supra diseruimus, ubi Esdram autorem, seu potiùs compilatorem librorum Regum constituimus, nempè quòd Esdras ex antiquis et authentiis monumentis historiam hanc compilaverit, et adornaverit, quæ nihil immutata, ut candorem, et hæ narrationis veritatem eò magis palam faceret, de verbò ad verbum ferè semper reddiderit; undè factum, ut in iisdem libris eadem monumenta sæpiùs laudari, ex scribi aliquando, et non raro compendiò referri contingat. Quidquòd longâ interdum fragmenta ex illis exscripta recitentur, ne verbò quidem mutatò, imò nec discrepantibus inter se testimoniis conciliatis. Hinc pluries ejusdem viri genealogiam ibidem deductam invenies. 239.

Occurrit 1. paralip. c. 2. v. 15 textus, qui difficultatem aliquam habere videtur. Dicitur siquidem ibidem, quòd David fuerit septimus, et ultimus Isai filius. Et tamen 1. Reg. c. 16. v. 11. fit mentio octo filiorum ejusdem. 268.

Resp. Verè septimum, et ultimum Isai filium fuisse David; sed præter septem à se genitos, alium adhuc habebat filium Isai, adoptivum nempe, Jonathan videlicet filium Samaa, seu nepotem ex tertiò filiò suò Samaa, qui adductò 1. Regum c. 16. inter ipsius reliquos filios collocatus est.

240.
~~244.~~ ~~228.~~
259.

De libris Esdræ.

Quatuor libri Esdræ nomine insigniti ~~aperantur~~ circum feruntur, quorum duo priores in Canone Ecclesiæ Latinæ recensentur, duo posteriores verò velut Apocryphi* ab eâ rejiciuntur. Duo priores apud Hebræos in unum librum coalescunt.

Auctorem primi Esdram ipsum esse, res est aperta, ut qui in eo à se propriorum oculorum suorum testimoniò probatas historias recensens, in primâ personâ loquatur.

Nihilominus arbitratur Huetius* Scriptorem sex priorum hujus libri capitum alium esse ab Esdrâ, ex his verbis, unde Caput septimum sumit initium: Post hæc autem verba, in regno Artaxerxis Regis Persarum, ipse Esdras ascendit de Babylone. Nam, inquit laudatus Huetius, cum Jerosolymæ fuerit tempore Darii Hystaspis Scriptor priorum sex capitum, Esdras autem primum Jerosolymam venerit regnante Artaxerxe, qui post Darium tenuit imperium, sequitur, alium esse sex priorum capitum Scriptorem, quàm Esdram.

270. Sed hæc non obstant, quominus totum librum scripsisse dicatur Esdras. Enimverò certum non est, sed mera conjectura est Esdram non fuisse Hierosolymæ tempore Darii Hystaspis. Et quamvis ponatur, quòd ibidem tunc nondum fuerit, cùm ea, quæ ~~ibidem~~ facta esse narrantur sex illis prioribus capitibus, evenerunt, nec fuerit unus ex Judæis respondentibus Thatkanai Duci, et Stharbuzanai, eorúmque Consiliariis,

* Apocryphus vox græca rem occultam, et abscónditam significat. Stylo Ecclesiastico nomen istud illis libris tribuitur, quorum Auctores non modò sunt ignoti, sed etiam nullius aut saltem dubiæ fidei.

* Demonst. Evang. propositi. 4. de lib. Esdræ pag. mihi 356.

sta 109

cùm hi abeis quærerent*, quisnam ipsis facultatem tribuisset Templum reædificandi, quod tamen valde probabile est; hæc tamen postmodùm ex illorum, qui tum erant Jerosolymæ, relatione, ubi ipse illuc advenit, utique resciri potuit, iisque, ~~illa~~ quorum ipse oculatus testis fuit, illa attexere. Non ergo necessum videtur, ut Opus istud ita dividatur, quò alicui alteri sex ista priora capita tribuantur, quàm ipsi Esdræ. 271.

* 1. Esdræ c. 5. v. 3. et seq.

Secundus Liber Esdræ, quamvis ipsius nomine sit inscriptus, Nehemiæ tamen vulgò tribuitur, quòd ea contineat, quæ simul ab Esdrâ et Nehemiâ gesta fuerunt. Olim tam apud Hebræos, quàm apud Græcos bini hi libri, prout jam de Hebræis à nobis dictum, unò volumine continebantur. 271.

Leviora huic libro addita videntur, quæ Nehemiæ ætati non satis conveniunt, aut saltem non satis convenire videntur, ut quando ibidem fit mentio Summi Sacerdotis Jeddoa, seu Jaddi, et Regis Darii*; quorum prior Jaddus est, qui occurisse dicitur Alexandro Magno Jerosolymam venienti an. m. 3672. Darius autem Codomannus ab Alexandrò Magnò an. m. 3674. regnò privatus est, et vitâ. Nehemias verò mortuus ofa perhibetur an. m. 3580.

* 2. Esdræ c. 17. v. 22.

Tertius Esdræ liber apud Græcos velut Canonicus suscipitur. Non differt à primò; variis tamen additamentis interpolatus est, quale inter alia est historia trium Corporis Darii Custodum, inter quos 272.

~~240.~~ ~~290.~~ recensetur Zorobabel, qui cùm de re fortissimà propositam à Rege quæstionem solvere aggressi essent, ipse Zorobabel omnium assensu, quòd definiisset, rerum omnium fortissimam esse veritatem, probabiliora dixisse visus, facultatem redeundi Jerosolymam, illúmque Saravala à Nabuchodonosore anteà asportata referendi, Templúmque instaurandi obtinuit in præmium. Sed hunc librum, ut diximus, Ecclesia Latina inter Apocryphos, ob illa nempe additamenta, rejecit.

273. Quartus equidem Esdræ nomen præ se fert, sed immeritò; utpotè, qui miris fabulis, et paradoxis abundet. Diem enim Judicii proximum esse, omnésque tum bonorum tum impiorum exindè adduendas ab inferis esse animas docet. Tradit insuper duo monstra jam à mundi exordiò esse creata, quibus oppiparum convivium Deus electis post resurrectionem instruet. Decem Tribus ad incolendam regionem Arseret transmigrasse. De Jesu Christò, ac de Apostolis non minùs clarè, quàm ipsum Evangelium loquitur. Et cùm olim Alcoranum Mahometis legerimus, subit mentem dubitatio, num Mahometes ad hujus libri exemplum Alcoranum suum non effinxerit, similia enim paradoxa in eo deprehendere est.

Ecclesiarum Græca et Latina quin et ipsius Judæorum Synagoga sententiâ inter apocryphos rejectus

Eta
Pag 110

est, quamquam interdum ab aliquibus 243. ~~181.~~ ~~247.~~
Patribus laudetur, et Ecclesia Latina
ex eo sententias aliquas in suum offi-
cium transtulerit. Textus idius
Græcus interiit; Hebræus usquam
extitit; Latinus plerumque in nos-
tris Biblis ad calcem imprimitur.
verùm dimissis apocryphis his duobus
libris, ad binos priores authenticos
et Canonicos redimus.

Igitur liber primus Esdræ decem 274.
Capitibus absolvitur, et solutam Israëlita-
rum captivitatem, restitutámque liber-
tatem describit. sub Cyró Persarum Rege;
numerum etiam init eorum, qui cum Zo-
robabele in patriam reversi sunt. fun-
dationem Templi, insidias hostium Tem-
pli et Urbis instaurationem impedire co-
nantium, illúsque interruptionem
usque ad 2dum regni Darii annum,
mundi 3485. ant. Chr. 515. ant. Cr. 519.
quo Judæi opus istud demò aggressi sunt,
commemorat; ut et, quòd, expletô Tem-
pli ædificiô, Judæi uxores alienigenas
dimiserint. Nonaginta quatuor ir-
cíter annorum historiam liber iste com-
plectitur, ab an. M. videlicet 3457. an-
te Christ. 543. ante Cr. 547. quo Cyrus
Judæos omnes manumisit, atque libe-
ram in patriam suam redeundi ipsis po-
testatem fecit; qui annus in Scriptu-
râ primus ipsius nuncupatur, quòd
eo primùm imperium suum in uni-
versum Orientem prorogaverit, usque
ad an. M. 3551. ant. Chr. 449. ante Cr.

~~248.~~ 453.tium qui fuit vigesimus Artaxerxis Persarum Regis, quo nempe Israëlitæ tandem, prout dictum, alienigenas uxores suas dimiserunt*.

* 1. Esd. c. ult.

275. Secundus Esdræ nomine inscriptus liber, qui aliàs Nehemiæ dicitur, 13. Capitibus absolvitur. Agit, sicut primus, de instauratione Templi; murorum Urbis Jerusalem extructione; de numerô populi à captivitate in patriam redeuntis; de divinô cultu à Levitis instauratô, p. Cap. 13. addit aliqua, quæ gesta fuêre ab an. 20. Artaxerxis, usque ad an. 32. imperii ipsius p.

276. Fuit autem Esdras è Sacerdotali genere, et justa aliquos Summi Sacerdotis Seraiæ à Nabuchodonosore, post captam Jerosolymam, in Reblatha occisi filius, probabilius alii censent, eum illius fuisse nepotem, vel etiam abnepotem. Babylone Jerosolymam, Cyrô regnante, an. m. 3468. ant. Chr. 532. ant. Dr. 536. primò rediisse vulgò creditur. Babylonem regressus sub Artaxerxis Longimani Persarum Regis imperiô, faultatem ab eo impetravit urbem Jerosolymam reædificandi. Jam enim sub Dariô Hystaspis filiô, qui Cyri de reædificandô Templô edictum confirmaverat, Templi Structuram, quæ priùs intermissa fuerat, perfecerant Judæi.

277. Nehemias verò libri 2di Esdræ Auctor, quique lib. 1. Esd. c. 2. v. 63. et lib. 2. c. 7. v. 65. vocatur Atherseta, id est, Pincerna Artaxerxis Longimani, nobili prosapiâ Judæorum oriundus, Haliâ, seu Chiliâ patre, tempore Cap-

tivitatis Babylonica Babylone natus, juntà quosdam è Sacerdotum genere, juntà alios verò Regiò sanguine, ex Tribu Judà ortum duxit. Sub Artaxerxe Longimanò Jerosolymam regressus una cum Esdrâ Urbem demùm ædificavit, p. 245.

De Libro Tobiæ. 278.

Liber hic utriusque Tobiæ Patris nempè è Tribu Nephtali in Cades ejusdem Tribûs Metropoli nati an. m. 3262. ant. Chr. 738. ant. Cr. 742. et filii, qui natus perhibetur circa an. m. 3280. ant. Christ. 720. ant. Cr. 724. quatuordecim Capitibus historiam complectitur et gesta; ac præcipuè in eo ostenditur, quanta sit orationis virtus, qualisque debeat esse usus, et finis conjugii, conjugatorúmque vita. In eo etiam referuntur calamitates, quas cum omni familiâ suâ Tobias in Ninive, quò à Salmanasare Assiriorum Rege expugnatâ post triennalem obsidionem Samariâ captivus unacum uxore, et filiò, ei circa an. m. 3281. natò, deportatus fuerat an. m. 3283. ant. Chr. 717. ant. Cr. 721. tempore Sennacherib, qui Salmanasari successerat repertus est. Obiit Tobias Pater an. m. 3363. ant. Chr. 637. ant. Cr. 641. in Ninive. filius ejus verò Tobias junior diem clausit Ecbatanis an. m. 3380. ant. Chr. 620. ant. Cr. 624.

Ab ipsis Patre, et filiò liber hic 279.
exaratus, vel saltem ex ipsorum Commentariis conscriptus fertur. Id non obscurè innuitur c. 12. v. 20. ubi; Narrate, inquit ad ipsos Angelus Raphaël, om-

Ztima pag 112

~~250.~~ ~~244.~~ nia mirabilia ejus (: Dei nempè :) Græcus verò textus sic habet: Scribite in libro, quæcunque evenerunt. Complura etiam in eo exarata leguntur, quæ nulli alteri, quàm ipsis innotescere potuerunt.

Nonnulla tamen ab incertò autore aliquo fortè ex Tobiæ Nepotibus, esse adjecta consentit Sanior pars Interpretum. Et capita quidem duodecim priora à Tobiâ Patre, à Tobiâ filiò autem decimum tertium, et pars decimi quarti, ubi Senioris Tobiæ narratur obitus usque ad postremos duos versus, hos verò, quibus nempè Tobiæ junioris mors continetur, ab incertò Autore esse tradita videntur.

280. Chaldaïcè, quæ lingua Hebræis communis tum temporis erat, atque in illis partibus, ubi Tobias morabatur, in usu erat, scriptum constat, ex cujus fideli Hebraïcò apographò Hieronymus Latinam suam versionem adornavit, quam Ecclesia Catholica suscepit.

Huëtius tamen* omnium Libri hujus interpretationum antiquissimam, et proinde purissimam, necnon exemplari similimam esse. Græcam ait, quâ, ut et veteri Latinâ ad illam accuratâ, usos esse Auctorem Constitutionum Apostolicarum, quæ Clementi S. Petri Discipulo adscribuntur, Polycarpum, Clementem Alexandrinum, aliosque Patres Græcos et Latinos Hieronymò vetustiores tuetur.

Librum hunc Canonicum et divinæ auctoritatis esse tenet universa Ecclesia Catholica post Concilium Tridentinum Sess. 4. Ob id eandem temeritatis arguunt Acatholici, sed immeritò. Contra quos proindè ponitur

* Demonst. Evang. prop. 4. pag. 362. edit. Lipf. 1694.

Conclusio. 247. ~~255.~~ ~~251.~~

Ecclesia Catholica meritò Librum Tobiæ Canonicis et divinæ Auctoritatis libris adnumerat. 281.

Pb. Conclusio 1.° iisdem argumentis quibus supra part. 1. c. 5. à num. 56. probavimus, ad solam Catholicam Ecclesiam pertinere Scripturarum Sacrarum Canonis determinationem, et definitionem, quæ vide ibidem.

Pb. 2.° auctoritate Scripturæ Sacræ. 282.

1.° Ex ipso Tobiæ libro. Ibid. c. 12. v. 20. Deus utrique Tobiæ per Angelum præcipit, ut historiam suam narrarent, atque, prout textus græcus habet, scriptò memoriæ mandarent. Atqui evidens esse videtur, quòd, qui eis præcipit, ut quæ sibi ipsos evenerant, scriberent, etiam ipsis adfuerit, eósque illustrârit, dum ea scribebant, p. Ergo liber iste est à Deo inspiratus, divinâque auctoritatis, adeoque meritò ab Ecclesiâ inter Canonicos relatus.

2.° Sequentium ætatum Scriptores Sacri quasdam hujus libri sententias usurpavêre, ut 1.° Ecclesiasticus tam Tobiæ c. 4. v. 11. expressam sententiam: Eleemosyna ab omni peccatò, et à morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras, sic cap. 29. v. 15. repræsentat: Conclude Eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malò. 2.° In eodem Tobiæ cap. v. 16. legitur hæc sententia: Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias, quam protulit Christus ipse Matth. c. 7. v. 12. et Luæ c. 6. v. 31.

~~282.~~ his verbis: omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Matth. 7. v. 12. Item, Prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter. Luc. 6. v. 31. 3°. Scripsit Tobias c. 13. v. 20. et seq. Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem. Portæ Jerusalem ex Saphiro, et Smaragdo ædificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus: ex lapide candido, et mundo omnes plateæ ejus sternentur. Atqui talis fuit propemodum ista Jerusalem, quam Joannis ostendit Angelus in Apocalypsi c. 21. v. 18. et seq. ut ea, quæ ibi enarentur, legenti patet; hæcque conveniunt doctrinæ vetustiorum Prophetarum, qui Jerosolymæ, ac montis Sion, et civitatis Dei symbolo ac nomine Ecclesiam Christi præsignificare solebant. Ergo Liber Tobiæ meritò censendus est à Deo inspiratus fuisse æquè ac libri Sacri illi, qui descriptas ex eo sententias referunt. p.

283. Pb. 3°. Conclusio ex Traditione Judæorum, qui, prout testantur Origenes, Epist. ad Africanum, Hieronymus, præfat. in Tobiam, et Judith. Sixtus Senensis, lib. 8. Bib. Sac. Et Grotius, præfat. in Tobiam, librum hunc non modò legebant, sed et in summo pretio habebant, necnon divinis, et sacris, seu Agiographis, idest, sanctis Scriptis adnumerabant. Ergo et Canonicum censuerunt.

284. Pb. 4.to Ex Traditione Christiana Ecclesiæ. Non secus ac cæteris libris Canonicis eo utuntur S. Polycarpus, in suâ Epistolâ. S. Clemens Alexandrinus, in lib. Hypotyp. Origenes, lib. 3. cont. Cels. Auctor Constitut. Apost. quæ Clementi Papæ I. ad-

scribuntur, lib. 1. c. 1. et lib. 3. c. 15. S. Basilius, orat. de avaritiâ. S. Ambrosius, lib. de Tob. c. 1. S. Hieronymus, Præfat. in Job. S. Augustinus, In Psal. et lib. 2. de Doct. Chr. 249. ~~247.~~ 293.

Illum etiam tanquam Scripturam divinam laudat S. Cyprianus, lib. 3. testim. et lib. de opere et Eleemosinâ. Inter libros Deutero-Canonicos numeratur ab Isidoro, lib. 6. Etymolog. c. 1. à Cassiodoro lib. 1. divin. lect. à Rabanô Mauro lib. 2. de Inst. Cleric.

Recensetur etiam in Catalogô Librorum Sacrorum à Concilio Hipponensi an. 393. celebratô can. 98. à Concilio III. Carthaginensi an. 397. can. 47. à Concilio Romanô sub Gelasio I. Papâ, an. 494. celebratô. à Concilio Florentinô sub Eugenio Papâ IV. an. 1438. in Decretô Unionis Latinos inter et Græcos. Et denique à Concilio Tridentinô an. 1548. inchoatô, et an. 1563. finitô, Sess. 4. Jam pridem annô scilicet 400. Innocentius Papa I. idem velut divinæ auctoritatis habendum esse definiverat, Epist. ad Exuperium. Quibus testimoniis Ecclesia Traditionem circa libri Tobiæ divinitatem satis superque fundatam esse censemus. Ergo etiam meritô velut Deutero-Canonicus suscipitur ab Ecclesiâ.

Ob. denique 5.to Rationibus Theologicis. 1.o Ut ab auctoritatem habente liber aliquis tanquam Canonicus, et divinus agnoscatur, et declaretur, hæc tria servare debet. 1.o ut habeat Veterum circa idius divinitatem testimonia. 2.o ut idem ad alios Canonicos libros comparatum iisdem similem, et conformem reperiat. 285.

Prima P. pag 113.

3.º denique, ut accedat communis populi Christiani sensus, et sententia illum velut divinum ultrò suscipientis. Atqui hæc tria observavit Ecclesia circa librum Tobiæ. Ergo meritò illum Canonicum et divinâ auctoritate præditum declaravit.

Maj. à nemine, nisi qui communem sensum exuerit, negari potest, quippe cùm omnes consentiant, hæc tria esse veros divinitatis libri alicujus caracteres.

Min. verò patet, et quidem quantùm ad 1.num ex primùm adductis veterum Patrum, Romanorum Pontificum, et Conciliorum testimoniis, quæ apertè monuerunt, librum hunc, quamvis à magnâ illâ Judæorum Synagogâ tempore Esdræ celebratâ, adeoque ab Esdrinô Canone testimonium non habeat, idcò tamen antè ab Ecclesiâ Apostolicâ, seu Apostolis ipsis, quod utique sufficit. Apostoli enim potuerant sine aliis testimoniis declarare, librum hunc esse Canonicum. Atqui hoc illos fecisse produnt adducta priori argumentô tum Patrum, tum Conciliorum, tum Romanorum Pontificum testimonia; sciùs enim hi SS. Patres et Concilia, necnon Romani Pontifices non tam constanter asseruissent, illum esse divinum, nisi ut talem eum ab ipsis accepissent Apostolis. Ergo &c.

Quantùm ad 2.dum verò, idcò patet ex ipsâ hujus Tobiæ libri cum aliis Scripturis Sacris Codicibus collatione, ut qui, quemadmodùm et illi, nihil nisi divinum spiret; et eò fortiùs, quòd, prout 1.º argumentô ostendimus, alii recentioris ævi

sacra Scriptura libri ex eo mutuatas, et exhiptas Sententias contineant. Ergo p. 251. ~~[illegible]~~. 295.

Quoad 3tium nemo negare potest, hunc librum paulatim, et jam ante Ecclesiæ definitionem ab omnibus Christianis pro Canonicô, et divinô receptum fuisse; quod addueta priori argumentô testimonia manifestè evincunt; ad quæ utique etiam respexit Ecclesia, cùm illum Canonicum declaravit.

Ob. 2°. Ex eo, quòd Ecclesiæ Christianæ ad minimum eadem auctoritas tribui debeat, ac olim Synagogæ data fuit. Atqui Synagoga habuit auctoritatem definiendi, quinam libri pro Canonicis essent recipiendi, prout omnes concedunt. Ergo à fortiori eadem Auctoritas Ecclesiæ Christianæ concedi debet. vide ea quæ part. 1. c. 5. à pag. 86. disputavimus.

Solvuntur Objectiones. 286.

Vetus Ecclesia seu Synagoga librum Tobiæ non agnovit tanquam Canonicum. Ergo nec Nova, seu Christi Ecclesia illum pro Canonicô agnoscere potuit. Ant. est certum, eoquòd in Ebrinô Canone, qui editus est auctoritate Synagogæ magnæ, minimè continetur. Cons. prob. Præcipua divinitatis libri alicujus ratio ex Traditione repetitur. Atqui idem circa librum Tobiæ non habet Ecclesia. Ergo p. Min. prob. Si eam habet, tum vel maximè à Synagogâ. Atqui ab hôc illam non habet, quippe quæ librum istum in Canonem suum non retulit, ac proinde nec pro divinô habuit. Ergo p.

~~286. 290.~~ Resp. neg. cons. primi argum. et min. secundi. Ad 3tium Dist. maj: si eam habuit, tunc vel maximè à Synagoga, si per Synagogam universa Judeorum Ecclesia intelligatur. conc. si solummodò magnum illud Synedrion tempore Esdræ celebratum intelligatur, neg. maj. Equidem Synedrium istud, seu Synagoga magna librum Tobiæ in Canonem suum non retulit; cùm enim eo tempore maximis rerum difficultatibus gens Israëlitica, quamvis jam patriæ, et libertati redditæ, premeretur, Esdras, quantumlibet studiosus et diligens, nondum omnes gentis suæ historias et veteris memoriæ monumenta à popularibus suis scripta colligere potuerat. Quæ postmodùm jam Canone clausò et obsignatò à aliis primùm reperta, in eo locum non habuerunt; eo quòd, ut ait Josephus*, jam tum temporis defecerat series Prophetarum, quorum autoritate libri in sacrum Canonem referebantur. Id autem non obfuit, quominus Esdrinò Canone posteriores Judæi hujusmodi historias et monumenta, atque etiammum librum Tobiæ legerint, et tanquam veram historiam non modò habuerint, sed et velut divinum et sacrum suspexerint; quod argumentò 3.tiò demonstravimus. Hæc autem Judeorum Traditio Ecclesiæ Catholicæ sufficit, ut quod Synagoga magna, seu Esdras ex ignorantiâ omiserat, suppleret, atque librum istum in Canonem sacrorum voluminum referret, necnon divinum declararet.

2da 1827

* lib. 1. cont. Appion.

287. Inst. Si aliqua spes hujus libri sanctitatis, et veritatis traditio Judeorum, tunc utique illius mentionem

fuisset Josephus Hebræus ipse, et diligens re- 253.
rum Hebraicarum Scriptor in suis, quas
edidit, antiquitatibus Judaicis. Atqui
in iis nullam hujus libri mentionem fe-
cit. Ergo p.

Resp. neg. Maj. Ad probandam
de libri Tobiæ veritate et sanctitate Ju-
daeorum traditionem nobis sufficiunt ad-
huc veterum Ecclesiæ nostræ Patrum
et aliorum Doctorum testimonia, qui uti-
que optimè noverant, quid apud Hebræos
sanctitatum fuisset, et adhuc hâ ætate
sanctitaretur. Hujus libri autem non
meminit Josephus 1.° quia Historia To-
biæ clam veluti gesta, et intra unius
familiæ terminos domesticos clausa non
pertinebat ad publicam Gentis Judaicæ
historiam, ~~cuius~~ duntaxat litteris con-
signandæ provinciam in se Josephus suc-
cepérat: hâ ipsâ etiam ratione idem Jo-
sephus in cit. lib. de Antiquit. Judaic. To-
bi historiam omninò prætermisisse vi-
detur, quia nempe ad gentis hæ gesta
minime pertinebat. 2.° Cùm
Josephus Judæorum historiam ex monu-
mentis Hebraicè scriptis duntaxat colle-
gerit, ac concinnaverit, Tobiæ librum
prætermisit, quia non Hebraicè, sed
Chaldaicè, ut suprà annotavimus, erat
conscriptus. 3.° Denique, Libri
Tobiæ Josephus non meminit, quia
liber iste non extabat in Canone Esdri-
nô, seu primariô Judæorum, p. 4.°
multa alia ad Judaicæ gentis historiam
pertinentia in suis libris antiquitatum
etiam prætermisit Josephus, quæ tamen
non minus vera sunt p.

~~288.~~ 288. Ob. 2.do Non potuit, nec debuit Ecclesia hic in Sacrorum librorum censum esse volumen, nisi veteris Ecclesiæ certâ Traditione fulta esset. Atqui Ecclesia circa Tobiæ librum Veteris Ecclesiæ certâ traditione minimè fulta fuit. Ergo p. Maj. est evidens, nisi quis dicere malit, Ecclesiam ex revelatione divinâ labiisse, librum hunc esse divinum, et Canonicum; quod velut absurdissimum jam alibi explosum est. Min. prob. In veteri Ecclesiâ de hoc libro dubitatum fuit. Ergo illius traditione fulciri non potuit Ecclesia. Ant. prob. auctoritate Origenis, Melitonis Sardensis, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Auctoris Synopseos, Cyrilli Jerosolymitani, Hilarii, Amphilochii, Epiphanii, Hieronymi, Joannis Damasceni, Leontii, et aliorum quamplurimorum, qui hunc librum in Canone non posuerunt, neuter apertè observerunt, semper de hoc libro quæstionem inter Doctos fuisse.

Resp. ad 1. Arg. neg. Min. ad illius probat. 1.o retorq. arg. In veteri, et primitivâ Ecclesiâ dubitatum fuit de Epistolis Jacobi, et Judæ, de Apocalypsi, de Ep. 2. Petri, de 2. et 3. Joannis, de Ep. Pauli ad Hebræos. Ergo horum librorum traditione fulciri non potuit Ecclesia, atque adeo in Canonem eos recipere, contra quam tamen sentiant Catholici Calvinistæ, qui hos omnes libros tanquam Canonicos recipiunt, et Lutherani Magdeburgenses*, quantum ad Apocalypsim.

Resp. 2.do Dist. ant. in Veteri

3. 115

* Centur. 1. lib. 2. c. 4. col. 56.

Ecclesiâ de hoc libro dubitatum sint, ita, ut 255. ~~[illegible]~~. ~~289~~.
multi Patres, et Doctores ~~[illegible]~~ idem inventi
fuerint, qui asererent, hunc librum divi-
no afflatu conscriptum fuisse. Neg. ant.
Ut plerique et praecipui, quibusdam, et
paucis tantum de eo dubitantibus, id ase-
rerent. conc. Ant. et neg. cons. Duo-
rumdam Patrum, ~~dubitatio~~ quibus in mo-
re positum erat, non alios Veteris Testa-
menti libros, quamvis tanquam Sacros,
et agiographos ab ipsis agnitos in Cano-
nem refere, quàm quos Esdrinus Canon
continebat, tum, et primis Ecclesiae tem-
poribus dubitatio minimè obesse potuit,
quin postmodum Summus Pontifex,
seu Ecclesia libratis aliorum longè
plurium Ecclesiae Patrum et Doctorum
circâ hunc librum testimoniis, idque
ad alios S. Scripturae Canonicos libros
comparatô, necnon totius Christiani po-
puli sensu, et consensu unanimi expen-
sô, auctoritate sibi divinitùs traditâ
illum Canonicum, et divinum solem-
niter declarare, et definire valuerit;
post quam definitionem, et declaratio-
nem amplius licitum non sit, hâc de re
vel minimum dubitare, quamvis olim
quidam Patres haesitasse visi sint. Quem-
admodum, proscriptô ab Ecclesiâ Mille-
nariorum e.g. errore, nefas est, eum
posthimio revocare, etsi constet, quos-
dam antiquos Patres, et Scriptores Eccle-
siasticos eidem doctrinae etiam citrâ
ullam erroris notam adstipulatos fuisse.

Ob. 3.tia Hujus libri c. 3. v. 7. di- 289.
citur Sara, quam in Uxorem habitu-

~~260.~~ 289. ras erat Tobias junior, habitasse in Rages civitate Medorum, ut et Gabelus c. 4. v. 21. Posteà tamen c. 9. v. 3. dicitur Tobias, cùm pervenisset ad locum illum, ubi Sara erat, indè missse Angelum ad Gabelum in Rages. Ergò falsum est Domum Saræ fuisse in Rages; adeoque hic aperta est antilogia, seu contradictio. Ergo &c.

Resp. 1.° Verisimile esse, quòd duæ civitates extiterint ejusdem nominis Rages cum aliquâ rerum distinctione, quæ in Versionibus negligentiâ Librariorum sensim interiit. 2.° Dici potest, Gabelum, et Raguelem cives quidem fuisse ejusdem urbis Rages, sed Raguelem cum filiâ suâ Sarâ, ac totâ familiâ mansisse in Ecbatanis vicinâ ab urbe Rages aliquot milliariis distante; Gabelum verò habitasse in ipsa urbe Rages. 3.° Denique, in Textu Hebræo, et in versione Græcâ cit. cap. 3. lib. Tob. legitur, Raguelem cum filiâ suâ Sarâ mansisse in Ecbatanis Medorum Metropoli; unde librariorum error in versione Latinâ loco Ecbatanis positum est Rages, quod proindè apertè mendosum est, atque ad textus Hebræum, et Græcum emendandum omninò videtur.

290. Ob. 4.to Eodem libro c. 9. v. 7. Interrogatus Angelus Raphael, unde esset respondit, se esse ex filiis Israël, quod utique falsum erat, ne dicam, apertum mendacium. Ergo &c.

Resp. Potuit verè, et sine mendacio Raphaël dicere, se esse ex filiis Israël 1.° quia Israël idem significat ac videns Deum; Angeli autem, adeoque et Raphaël semper vident Deum; unde

videtur, Interpretem hic debuisse vertere, 257. ~~261.~~
Ex filiis videntium Deum. 2º Quia justorum gens Israelitica censetur; ipse autem de justorum numerò erat. 3º Quia ad Israëlitarum custodiam, maximè tribus Nephtali specialiter deputatus erat Raphaël. unde neg. seq. ant.

4·116

Ob. 5.to Ibid. v. 8. Dixit idem Angelus Raphael, Gabelum esse fratrem suum, mansi apud Gabelum fratrem nostrum. 291.
Atqui hoc iterum falsum est. Ergo p. min. habetur ex eo, quia Angeli fratres non habent hic in terris.

Resp. neg. min. Cùm omnes, tam Angeli, quàm homines eundem Patrem, Deum scilicet, habeant, et naturæ spiritualis similitudine, et gratiæ sanctificantis adoptione, et divinæ, æternæque hereditatis possessione, potuit Raphaël Gabelum sine mendacio fratrem suum vocare; nam, ut ait S. Gregorius Nyssenus*, frater quodammodò hominis est Angelus, ob intellectualium connexionem. (7) * De vitâ Moysis.

Ob. 6.to Ibid. v. 18. Dixit idem Angelus, se esse Azariam Ananiæ magni filium. Atqui hoc demùm falsum est. Ergo p. 292.

Resp. neg. min. 1º enim, quia Raphael præferebat formam, et similitudinem Azariæ, hinc verè dicere potuit se esse Azariam; sicut Genes. c. 31. v. 13. et alibi, Angelus, qui Dei personam pro se ferebat, severè, et sine mendacio Deum esse dicebat; sicut et imago v. 9. S. Petri à nobis vulgò Sanctus Petrus vocari solet. 2º Cùm soleant Angeli ex suo, quo funguntur

~~262.~~ numere, hæ nomina sortori, unde Angelus ide, qui à Deo Tobiæ cœco medicinam tulit, dictus est Raphaël, id est Medicina Dei, ita et idem ipse Angelus, quia Dei auxilium eidem Tobiæ diu jam cœco, nec non filio ipsius iter agenti tulit, se Azariam, id est, auxilium Dei verè dicere potuit, quia re ipsa auxilium Dei ipsis fuit. Et cùm Ananias significet gratiam Dei, rectè pariter, et verè se Ananiæ, id est, gratiæ Dei filium esse dixit, sunt enim omnes Angeli filii Dei per gratiam.

293. Ob. 7mo Ibid. c. 7. v. 3. ait idem Raphaël, se, ut et Tobiam esse ex Tribu Nephtali. Atqui hoc iterum esse falsum videtur. Ergo p.

Resp. neg. min. 1o enim, verè pro se ipso, et Tobiâ dixit, quòd sint ex Tribu Nephtali, Tobias quidem genere, ipse verò protectione, et præsidiò; ide per naturæ generationem, ipse autem per specialem Dei deputationem, quâ deputatus erat ad Tribus Nephtali custodiam, et protectionem. 2o quando Raphaël ait, se, et Tobiam ex Tribu Nephtali esse, verum dixit: nam re verâ Tobias de Tribu Nephtali erat; Raphaël autem talis apparebat, cùm esset cum Tobiâ juniore, ejusque ductor, et comes: in Scripturâ autem res tales dici solent, quales apparent: Sic Archangelus Gabriel apparens Danieli, et loquens ei sub viri alicujus specie, vir vocatur, Dan. c. 9. v. 21. ab ipso Daniele: Sic strenui Bellatores Tyri Pygmæi vocantur apud Ezechielem c. 27. v. 11. quia velut Pygmæi apparebant è sublimibus turribus p.

De Libro Judith.

259.
~~297. 268.~~
294.

Fuit Judith ex Tribu Simeonis* Merari filia, vidua Manassis civis Bethuliæ, ob liberatam hanc civitatem, quam Holofernes obsidebat, celeberrima.

Liber ipsius nomine inscriptus egregium ejusdem facinus sedecim capitibus describit; et quâ ratione ipsa, fugatâ Nabuchodonosoris exercitu Bethuliam ab imminenti discrimine liberavit; simiam inprimis istius Assyriorum Regis regnandi cupidinem commemorat, qui comparatâ ingenti exercitu, cui Holofernem præfecit, omnem terram suo imperio subjicere attentavit.

Holofernes ergo, devictis variis 295.
provinciis, multisque urbibus deditione receptis, tandem Bethuliam, aliàs Bethul, aut Bethuel, vel etiam Betheliam in Tribu Simeonis sitam urbem obsidione cingit. Cives gravi metu perculsi, jejuniis, et orationibus à Deo auxilium implorant; vacillantes dein atque deditionem jamjam meditantes Judith increpat, quasi metam et modum divinæ misericordiæ ponere vellent. Illa interim cilicio induta, ac cinere conspersâ capite vehementer Deum pro civium liberatione, et salute precatur. Aptissimè dein ornata urbem egreditur, ac veluti fugâ dilapsa esset ad Holofernem se recepit. Hic illius mirâ pulchritudine captus benignè eam habet, atque in suos amores trahere conatur; illa verò ei morem gerere se

* c. 9. v. 2. Mendosum ergo est, quod c. 8. v. 1. in vulgatâ nostrâ legitur, nempe, ipsam fuisse ex Tribu Ruben, cujus nominis loco pro dabet juxta textum græcum Israël, id est, Jacob. Neque enim Ruben habuit filiam, qui vocaretur Simeon, ut Exod. c. 6. v. 14. et 1. Paralip. c. 5. v. 3. patet. Sed Simeon fuit filius Israël ex Jacob; ex cujus Simeonis posteris nata dicitur Judith, lib. c. 9. v. 2.

~~264.~~ 260. vede simulans, noctu dormienti ebris caput abscindit, illúdque Bethuliam defert. Hinc Assyrii, fraude detectâ, et Duce amissô in fugam acti. Cives ob egregium facinus, liberatámque Urbem Judithæ ponunt elogium. Ipsa autem Deo canticum canit. Hæc libri Judith epitome.

296. Hujus libri Scriptor latet. Hieronymus ab ipsâ fortè Judith confectum putat*, suam tamen sententiam non satis explicat. Sunt, qui, ex levibus conjecturis, Pontificem Joachimum, seu Eliacimum, cujus in hoc libró fit mentio, illius autorem constituunt. Sed magis probatur nobis conjectura Huëtii, qui existimat*, illum fuisse conscriptum tempore captivitatis Babylonicæ ad leniendam hujus exilii ægritudinem, et ad spe arrigendos captivorum Judæorum animos; maximè, cùm liber iste Chaldaïcâ linguâ, quæ tunc Judæis in captivitate Babylonicâ degentibus familiaris erat, exaratus fuerit, teste S. Hieronymo*, qui Latinè illum reddidit, sic tamen, ut fateatur, se magis sensum è sensu, quàm ex verbô verbum transtulisse.

297. Aliæ adhuc præter latinam S. Hieronymi extant hujus libri versiones, ut jo. Græca, quæ vetustissima ab omnibus agnoscitur; eam aliqui Theodotiôni Sub Commodô Romanorum Imperatore, cujus Imperii initium ad an. Chr. 180. Ora 184. collocatur, florenti tribuunt. Sed eam vetustiorem esse, ex eo intelligitur, quòd Clemens Romanus

b * In Aggæi c. iv. 6.

c * Demonst. Evang. prop. 4. de lib. Judith, pag. 364. edit. Lips.

g * Præfat. in lib. Judith.

S. Petri Discipulus, atque in Romanâ Sede Successor; in suâ ad Corinthios Epistolâ centum viginti ante Theodotionem annis Scriptâ, ex hac græcâ versione testimonia laudet; unde probabilius censetur eam ex Chaldaïcô exemplari à Judeis Hellenistis fuisse expressam. 2°. Syriaca, quæ etiam vetustissima abomnibus reputatur, eámque è Græcâ magis deflorcatâ, quàm quæ nostrâ ætate superest, in re tamen haud diversam esse expressam nemo ambigit. 3°. denique, Versio Latina Itala, seu Vetus vulgata, quæ pariter è Græcô adornata est, sed mendis refersta. Igitur vulgatam S. Hieronymi Ecclesia Canonicam agnovit, et declaravit. 261. 269.

Quo verò potissimùm tempore hæc Bethuliæ obsidio, ac Judithæ facinus contigerit, incertum quoque esse videtur. Huetius*, Calmet**, et Gravelon*, post Bedarmimum, Serarium, Betarium, s. eam factam esse ajunt ante Captivitatem Babylonicam sub Manasse Rege Juda, vel post ipsius captivitatem, vel ùm Babylone captivus adhuc detineretur, post medium videlicet quintæ mundi ætatis, quæ, prout alibi dictum, initium habuit an. m. 2992. finem verò an. m. 3468. Quorum opinionem, ut potè quæ nobis probabilior, necnon historiæ et Chronologiæ legibus magis consentanea videatur, quamvis etiam suis non careat difficultatibus, lubenter amplectimur. Enimverò regnante Manasse Rege Juda, Medis imperabat 298.

* loc. cit. ** Dict. Bibl. V. Judith. * Hist. Eccles. Vet. Test. tom. 3. colloq. 2. in Judith. pag. 51. et seq.

6118

Dejoces ab Herodoto gentili Scriptore tantopere celebratus, quique urbem Ebactanis condidit, in quâ et regiam Sedem suam habuit, vel saltem ejus filius Phraortes, atque alio nomine in historiâ Judith nominatur Arphaxad, quod nomen ab Arbace qui rebellando contra Assyriorum Regem Medorum Monarchiam instituit, ductum usurparunt Reges Medorum: Arbaces siquidem aliâ vocis inflexione Arpaxad, tum pinguiori sonô Arphaxad dicebatur. Nabuchodonosor verò Assyriorum Rex, cujus historia Judith meminit, tempore Manassis regnabat in Ninive, erátque Saousdrichinus ille gentilium, ac præcipuè Ptolomei historiâ celebratus. Nec ista horum Principum nomenclatura varietas quemquam movere debet; præterquàm enim, quòd Veterum Assyriorum Regum nomina, sicut et regni ipsorum tempora confusa admodùm sint, et incerta, prout facilè colligitur ex illarum Nationum historiis, quas scripsere Berosus, Manetho, Ctesias, Diodorus, et Herodotus; assuevimus jam in historiarum Orientalium lectione ipsum eundem Principem variis designatum nominibus agnoscere, tam apud Sacros Auctores, quam profanos Scriptores Græcos, Hebræos, et Latinos. Saousdrichinus igitur, seu Nabuchodonosor Rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive, Dejocem, seu Arphaxad debellavit vel initiò Regni Manassis, qui duodecimo regnum Juda capessivit, vel dum ipse Babylone captivus adhuc detineretur, vel statim postquam regno restitutus fuerat; atque altero post hanc victoriam annô Holofernem Bellicum suum cum in-

genti exercitu misit Bethuliam, ut eam 263. ~~264~~ 267.
obsideret, p. Quæ omnia, sicut et tota Judith historia cum Chronologia et Historia legibus componi possunt; prout ex objectionum solutione magis patebit.

Porrò librum hunc Canonicum et divinæ autoritatis esse tenet universa Ecclesia contra Acatholicos. Unde sit

Conclusio.

Liber Judith meritò ab Ecclesiâ 299.
Canonicus censetur, et divinæ autoritatis.

Ob. Conclusio 1.° Ex S. Scripturâ.
Novi Testamenti Scriptores sacri plures sententias ex hoc libro transumpsisse videntur, ut est 1.° Sententia Elisabeth ad Mariam Christi Matrem Luc. 1. v. 42. Benedicta tu inter mulieres, quæ desumpta videtur ex c. 13. Judith v. 23. ubi Ozias Bethuliæ Princeps hisce Juditham alloquitur: Benedicta es tu filia à Dominô Deô excelsô præ omnibus mulieribus super terram. 2.° Neque tentemus Christum, inquit S. Paulus 1. Cor. 10. v. 9. et 10. sicut quidam eorum tentaverunt, et à serpentibus perierunt: neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. At hæc manifestè videntur provenire ex libro Judith, cujus hæc sunt verba c. 8. v. 24. et 25. Isti autem, qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, et impatientiam suam et improperium murmurationis suæ contrâ Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore,

264.
~~268.~~ et à serpentibus perière. Atqui optimè arbitramur, quòd nec Lucas Evangelista, aut si mavis, S. Elisabeth, nec Apostolus Paulus ex eo libro sententias tam manifestò exscripsissent, nisique illum evolvissent, atque velut Sacrum, et à Deo inspiratum agnovissent. Ergo &c.

300. Pb. 2do Traditione Judæorum, qui, teste S. Hieronymo*, illum inter libros agiographos, et sanctos collocabant, atque velut talem legebant.

j h * Præfat. in Tob. et Judith.

301. Pb. 3tio auctoritate Conciliorum, 1o Concilii Nicæni, quod teste eodem S. Hieronymo*, illum in numero Sacrarum Scripturarum legitur computasse. 2o Concilii Carthaginensis III. an. 397. celebrati Can. 47. 3o Concilii Romani sub Gelasio Papa I. an. 494. habiti. 4o Concilii Tridentini Sess. 4. Hæc Concilia hunc librum tanquam Canonicum, et divinum agnoverunt, et declararunt.

7. 119

g 2 * Præfat. in Judith.

303. Pb. 4to auctoritate SS. Patrum, S. Clementis Romani Pontificis, Ep. 1. ad Corinth. S. Clementis, Alexandrini lib. 4. Strom. Origenis, Hom. 19. in Jerem. et Tom. 3. in Joan. Tertulliani, de Monogamia c. 17. S. Ambrosii, lib. 3. de officiis, et lib. 3. de Viduit. S. Hieronymi, Ep. ad Fur. S. Augustini, lib. 2. de Doct. Christ. S. Fulgentii, Ep. ad Gallam. Duorum Veterum Scriptorum, quorum Sermones in Appendice tom. 5. Operum S. Augustini leguntur. Denique Innocentii

Papa I. Ep. ad Imperium Tolosanum Epis- 303.
copum. Qui omnes librum Judith
laudant, et velut divinum agnoscunt.
Ha autoritates utique sufficiunt, ut
illum Canonicum statuamus; etiamsi
omnes circa eundem exortas difficulta-
tes solvere non valeremus.

Adde hu̅ ea argumenta à ratio- 304.
ne supra pro libro Tobiæ adducta.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1.º aliqui SS. Patres, et quidem 305.
ii ipsi, qui supra adversus Tobiæ librum
adducti fuerunt.

Verum ad illorum autoritatem ea
respondemus, quæ supra pro Tobiæ libro
attenuimus.

Ob. 2.º Traditio Judæorum, qui 306.
librum Judith tanquam Canonicum non
habuerunt.

Sed vide responsionem supra, ubi
de Libro Tobiæ p̅.

Ob. 3.tio Hæc historia Judith vi- 307.
detur esse figmentum aliquod dinta-
xat, vel saltem parabola quædam ad
pietatem, et mysterium aliquod signifi-
candum conficta, eâ quidem ratione
ut Judith nomen significet Nationem
Judaïcam, quæ tunc temporis cum Deso-
lata, et omni ope divinâ destituta esset,
reuè per fœminam Judith, quæ victra
supponitur, designatur. Nabuchodono-
sor verò, cujus in hoc libro fit mentio, sit
figura Diaboli populum Dei affligentis.
Holofernes è Chaldaïco latinè redditus
idem est ac lictor serpentis. Joachim
seu Eliacim idem sonat ac Deus Sur-

gens, qui votis, ac precibus populi Judaici oppressi exoratus surgat ad liberandum populum suum. Bethulia idem significat ac Domus Dei, idest, cultus religiosus, quem Diabolus, et Ministri ejus oppugnant. p. Ergo minus recte liber iste Sacris, et Canonicis Scripturæ voluminibus tanquam vera historia adnumeratur.

Resp. neg. ant. 1.º quia Judæi, Concilia, Patres, et Interpretes librum Judith, tanquam veram historiam agnoverunt. 2.º quia personarum genealogia, quæ in eo tenuntur, rérque ab iis gestæ iis characteribus designantur, qui fabulosam, aut parabolicam narrationem minimè redolent, sed veracem historiam exhibent. 3.º quia ad calcem libri istius testatur Scriptor, specialem à Judæis festivitatem fuisse institutam ad conservandam memoriam victoriæ illius, quam de Holoferne Judith reportavit. Porrò si hæc Judithæ historia vera non esset, sane illius libri autor non historicus duntaxat, sed insignis impostor audire, et haberi deberet, ut qui falsas personarum genealogias, res nunquam gestas, et spuria monumenta pro veris obtrusisset; quod post tot et tanta antiquitatis testimonia asserere omninò temerarium est, et infamum.

6. 120

308 Ob. 4.to Nemo hactenus clarè potuit explicare, quis fuerit Trphaxad, quis Nabuchodonosor, quæ illa Bethulia civitas ab Holoferne obsessa, et quis denique Joachim ille, qui eo tem-

pore fuit Summus Sacerdos, de quibus omnibus tamen in memorato Judith libro fit mentio. Ergò vacillat hujus historiæ veritas, imò merum figmentum esse videtur. 267. 269.

Resp. neg. ant. nam, ut supra jam annotavimus ex Herodoto et Ptolemæo, Arpharad fuit Dejoces, vel ejus filius Phraortes. Nabuchodonosor autem fuit Saousdichinus, qui post Assaradonem Regem Assyriæ pariter Assyriorum, et Chaldæorum rexit Imperium. Bethulia est illa civitas, Bethul seu Bethuel alionomine dicta, de qua meminit Josue c. 19. v. 4. in Tribu Simeon sita; et facilè eadem est, ac Bethelia illa, quam memorat Sozomenus Hist. Eccl. lib. 5. c. 15. et quam Hieronymus quinque brevium dierum itinere à Pelusio distitam ait, in vita S. Hilarionis. Joachim verò Summus Sacerdos, qui et in Scripturâ passim Eliacim nuncupatur, fuit filius Helciæ ipsiusque in Summo Sacerdotio Successor, cum prius sub Ezechia Rege et Manasse Patre fuisset Præpositus Domus, id est, Templi*; nam antonomastiè Templum non raro Domus appellabatur; atque in hoc ministerio Sobna suffectus fuisset, prout colligitur ex Isaiâ c. 22. v. 15. et 20. * 4. Reg. c. 18. v. 18.

Ob. 5ta Hæc historia minimè conciliari potest cum historiâ Judæorum, et Regum Assyriorum, ac Medorum. Ergò vera esse non videtur. 309.

Ob. Ant. Non potest explicari, quo tempore hæc historia evenerit, an ante Captivitatem Babylonicam, an verò primùm illâ fi-

nitâ. Primum alii, alii secundum hujus libri auctoritate evincere conantur Interpretes, qui in idam commentati sunt adeò contraria continet liber iste. Ergò p.

Ob. ant. 1º Dii non potest, hanc historiam evenisse ante captivitatem Babylonicam, id est, sub Manasse Rege Juda 1º quia ibidem nulla fit mentio Regis Manassis, prout tamen fieri debuisset, si sub Regnô ipsius hac historia evenisset. 2º. Regnante Manasse Israëlitæ urbem Bethuliam non incolebant, quippe qui à Salmanassare Assyriorum Rege jam priùs fuerant in Assyriam deportati, anno m. 3283. videlicet, Ezechiâ Manassis Patre in Judæâ regnante, et sub Osee ultimô Rege Israëlis. Sed urbs ista tum temporis incolebatur à Cuthæis, et Babyloniis, qui à Salmanassare huc translati fuerant.

3º c. 5. v. 3. et 4. Holofernes quærit à suis Beliduibus, quænam sit gens Israëlitica p. velut hoc ipsi penitus ignota fuisset, cùm tamen tempore Manassis Israëlitarum natio Assyriis probè nota esse debuit, utpotè quorum regionem frequenter jam invaserant, eósque sub Salmanassare Assyriorum Rege captivos in transeuphratea loca abduxerant.

4º. Ib. v. 22. et seq. Achior Dux Ammonitarum respondet Holoferni, Israëlitas ante annos ob neglectum Dei sui cultum exterminatos fuisse prælis à multis nationibus, plurimósque eorum captivos fuisse abductos in terram alienam; imò prout legitur in textu Græcô v. 18. Templum solo æquatum ac penitus diutum fuisse; ipsos vero tandem

à suâ dispersione nuper reductos fuisse, et iterum possidere Jerusalem, ubi sunt sancta Sanctorum. Atqui ante Manassis ætatem nec Israëlitæ abducti fuerunt in captivitatem, nec Templum Jerosolymitanum unquam diruptum, aut solo æquatum fuit; hoc enim Templi urbisque Jerosolymæ desolatio, et eversio primùm diu post, nempe annô M. 3416. undecimô scilicet Sedeciæ Regum Juda ultimi annô, hoc est annô itidem undecimô post jam inchoatam captivitatem Babyloniam, de qua hic intelligi debet, quod Sichior asserit, et ex quâ nuper reversos esse dicit, nempe Cyrô totius Orientis Monarchiam tenente an. M. scilicet 3469. 5.to Ejusdem libri c. 16. v. 28. et 30. Hæc de Judith enuntiantur: Mansit in domô viri sui annos centum quinque, et defuncta est ac sepulta cum virô suô in Bethulia ..... In omni autem spatiô vitæ ejus non fuit, qui perturbaret Israël, et post mortem ejus annis multis. Atqui constat, Israëlitas tempore Manassis Regis Juda per tot annos pace potitos haud fuisse, quamvis etiamnum dicerentur Judith nonnisi 25. annos nata fuisse, quando Holofernem adivit. Nam ipse Rex Manasses, fuit ab Assyriis in captivitatem abductus, quæ captivitas sine aliquâ pacis perturbatione audire non potuit. Præterea ab illâ captivitate Manassis usque ad bellum Ægyptiacum, in quo Josias Rex Juda Manassis nepos interemptus est, tot, quot citato capite recensentur, anni pacis haud effluxere; id enim bellum an. M. 3394. audisse

243.

1 = 121

270.
~~274.~~ referunt Chronologi Sacri. Ergo p.

2°. Sed nec dici potest hæc historia evenisse post Captivitatem Babylonicam, prout ex iis, quæ nos ipsi supra adduximus constare videtur. Ergo non satis explicari potest, quo tempore hæc historia contigerit, adeóque conficta videtur p.

310. Resp. 1.° neg. cons. primi argumenti. Quamvis enim hæc historia non satis conciliari posse videretur cum Judæorum, Assyriorum, et Medorum historiis, et Chronologiis, quos præ manibus habemus, quæque confusæ sunt admodùm ac obstrusæ, et nonnisi veluti temporum ~~obscu~~ conjecturas referunt, utpotè quarum accurati commentarii temporum injuriâ vel deperditi, vel neglecti, vel à variarum nationum, et linguarum Scriptoribus diversâ temporum, et annorum computatione, personarúmque nomenclaturâ commutati fuerunt: non tamen minùs vera est censenda, quippe quæ tùm antiquorum, tùm recentiorum Scriptorum Hebræorum, tùm veterum Ecclesiæ Patrum, Conciliorum, aliorúmque testimonia sibi asciscat.

311. Resp. 2.do neg. ant. primi argumenti. ad illius probationem neg. ant. et dicimus, quòd probabilius sit, eam accidisse ante captivitatem Babylonicam, et Manassis Regis Judæ ætate. Etsi nihil illius veritati detrahatur, sive ante, sive post Captivitatem idem accidisse dicatur, cùm perinde de illius veritate constet; unde meritò ad singula, quæ in argumenti hujus

probationem adducuntur, respondere possemus supersedere, quippe quæ historiæ hujus veritatem minimè infirment. Attamen, ne quidquam hic omisisse videamur, quo sententia nostra magis roborari possit, singula expendimus. Igitur, 271 ~~pg. 275.~~

Ad 1um Resp. In Judith historiâ nulla fit mentio Manassis Regis, tum quia hæc historia non contigit in Regnô Juda, cui præerat Manasse, dumtaxat, ad quem proinde non pertinebant, quæ extra regnum et ditionem suam gerebantur, sed in regnô Israël, nempe in Tribu Simeonis, è quâ Judith oriunda erat, quæque Regi Juda non parebat. Tum quia hæc historia contigit vel subinitium Regni Manassis, cùm vix adhuc ex ephebis esset egressus, ut potè duodennis tantùm, et regno administrando impar; vel cùm Babylone adhuc detineretur captivus, quo casu nulla hujus ipsius fieri potuit mentio; vel statim ac è captivitate solutus est, ubi non ausus fuit apertè hostilia in Chaldæos exercere, quorum furorem anteà expertus fuerat, atque sic neutri parti favere è re suâ duxit. Vel denique, quia, omnibus regni curis in Joachim, seu Eliacim summum sacerdotem remissis, totum se pœnitentiæ addixit, cujus proinde summi sacerdotis Joachim meminit liber Judith c. 15. v. 9. 312.

Ad 2um Resp. Id non obesse, quin plures Israëlitæ in patriô solô remanserint; imò permulti non multô 313.

2 122

post captivitatem illam Assyriacam illuc reversi sunt, qui plurimas civitates, præsertim eas, quæ in montanis sitæ erant, occuparunt; atque etiam multi Israëlitæ in urbe Samariâ, et aliis finitimis civitatibus una cum Cuthæis, et Babyloniis, quos illuc miserat Salmanassar Assyriorum Rex habitabant, atque cum illis, quos legem Moysis edoceverant, verum Deum Israël colebant. Quid ergo mirum, si Israëlitæ, et Cuthæi urbis Bethuliæ incolæ veri Dei cultum contrà Nabuchodonosorem, qui solus tanquam Deus abyssis coli pertendebat*, defendere volentes, Holoferni ejus Bellidui urbem hanc obsidenti, et veram religionem exterminare totis viribus molienti strenuè et animosè restiterint?

* Judith. c. 3. v. 13. et c. 9. v. 29.

314. Ad 3tium Quamvis Holofernes regnante Manasse plura fortè de Israëlitis audire potuerat, verisimile tamen est, illum eorumdem statum necdum penitus penetrasse, unde meritò quærit, quænam gens ista sit, nempè quinam illius status.

315. Ad 4tum Hæc, quæ sibi Holoferni respondet de variis populi Israëlitici afflictionibus, intelligenda non sunt de captivitate Babylonicâ, sed de variis vexationibus, quæ eam diu ante præcesserant. Nam si ipsi sermo fuisset de captivitate Babylonicâ, non dixisset, In-

Daos exterminatos fuisse à multis natio- 273.
nibus, sed ab unâ, Chaldaorum nempè, 277.
nec dixisset, plurimos captivos abductos
fuisse, sed omnes; fuit enim generalis
Babylonica captivitas, paucissimi enim
remanserunt à Nabuchodonosore relic-
ti, idique paulo post ipsimet in Ægyp-
tum fugerunt*. Itaque hæ dispersio, et desolatio fuit plenissima; unde
sermo Achiori hic est de variis populi
Israelitici afflictionibus, quas variis
temporibus à diversis nationibus pas-
sus est: pluries siquidem Israëlita tra-
diti fuerunt in manus gentium, vi-
delicet Ægyptiorum, Moabitarum,
Ammonitarum; at ex illis captivi-
tatibus, quæ universales non fuerunt,
jam tempore Manassis Regis Juda in
patriam redierant.

* 4. Reg. c. 25. v. 26.

Quod autem quidam è græco tex- 316.
tu cuere velint*, Achiorem dixisse,
Templum Jerosolymitanum fuisse solo
æquatum, ac penitus diruptum, id mi-
nimè textum græcum significare aser-
it Auctius*; sed Templum duntaxat
fuisse conculcatum, et pedibus proti-
tum, prout solum proteri solet. Ergo,
etiam juxta versionem græcam hujus
libri, Achior asserit, Templum Jeroso-
lymitanum à Nationibus fuisse pro-
fanatum duntaxat, non verò destruc-
tum, et solo æquatum; idque mani-
festum est ex cap. 4. v. 2. hujus libri,
ubi Tremor, et horror, inquit textus
noster, invasit sensus eorum, ne

* Græca Versio c. 5. v. 22.

* loc. cit. in lib. Judith.

~~278.~~ ~~280.~~ /: Holofernes:/ hoc faceret in Jerusalem sive videlicet cultum veri Dei ibidem abrogaret;/ et Templo Domini, quod fecerat cæteris civitatibus, et Templis earum. Quibus addit Græcus textus: Recens enim ascenderant è captivitate, et nuper totus populus congregatus fuerat ex Judaâ, vasaque, et altare, et Domus ipsa à profanatione fuerant sanctificata. Hæ, præterquam quòd de reditu ex Captivitate Babyloniâ minimè intelligi possint, apertè innuunt, Templum à profanatione duntaxat sanctificatum fuisse, non verò de novo extructum, &c.

3 123

317. Adstatum Sive historia Judith contigerit sub initium Regni Manassis, Sive dum adhuc captivus Babylone detineretur, Sive denique /: quod plerique censent, et apertè innuere videtur Græcus textus primùm à nobis adductus:/ Statim post ipsius à captivitate solutionem; facile est ostendere, toto reliquo, post liberatam ab Holofernis obsidione Bethuliam, Juditha tempore, et pluribus adhuc post ipsius mortem annis pacem fuisse in Israël, et à nemine perturbatum fuisse populum istum. Nam Judith vitam protraxit usque ad ætatis suæ centesimum quintum annum, ita enim intelligi debent; quæ hæc dere vulgata nostra c. 16. v. 28. exprimit, scilicet: Mansit autem /: Judith :/ in domo viri sui annos centum quinque, prout clarè habet Græcus textus, et

clarius adhuc Syriacus*. ex quibus annis detrahendi sunt illi, quos vixit ante occisionem Holofernis, quósque supponimus fuisse circiter quadraginta; enimverò certò definiri non possunt, cùm nullus Auctor de iis quidquam certi meminerit, aliis illam 25. annorum, aliis 30. aliis 38. et aliis denique 50. omninò annorum fuisse supponentibus; Nos mediam viam hîc sequimur, atque iis, qui eam 40. annorum fuisse asserunt, tutò nos adstipulari posse arbitramur. Jam ergo, si ex annis 105. quos eam vixisse asserit Scriptura detrahantur 40. illi, quos eam attigisse, cùm Holofernem occidit, supponimus, supererunt 65. anni continua pacis usque ad mortem Judith, quibus addimus omnes annos illos, qui post mortem Judithæ usque ad captivitatem Joachim regis Juda, quam Chronologi sacri ad an. m. 3406. rejiciunt, effluxêre, sicque verum erit, quòd eodem c. 16. v. 30. libri Judith additur, post mortem ejus, videlicet, multis annis non fuisse, qui perturbaret Israël.

Anno quippe mundi 3306. Manasses duodennis regnum inisse dicitur à sacris Chronologis. Quòd si eodem annô Bethulia ab obsidione liberata est, prout sat benè multi contendunt, tunéque Judith jam quadragesimum ætatis suæ annum attigisse ponatur, obitus illius incidet in annum m. 3371. Octavo Josiæ, qui Amoni Manassis filio, cujus imperium duorum duntaxat fuit annorum, 318.

275.
~~253.~~ ~~275.~~
* Græcus textus sic habet: Et senuit in domo viri sui annos centum quinque. Syriacus verò: Et consenuit in domo Manassis viri sui, factáque centum et quinque annorum mortua est, &c. Ex quo patet, lapsum esse Philonem, cùm in volumine Chronographiæ suæ ait, Juditham vixisse centum viginti quinque annos.

an. m. 3363. in regnô Juda successerat, atque post eum 31. annis imperavit, usque ad an. m. 3394. videlicet, quo adversùs Nechao Regem Ægypti pugnans lethali vulnere ictus obiit.

319. Nec huic paci, quâ toto illo tempore fruitus fuisse dicitur populus Israëliticus, obfuisse videtur Manassis captivitas, quæ juxta hanc opinionem post liberatam jam Bethuliam facta deducitur; nam, ajunt hujus opinionis patroni, illa solam Manassis personam, non verò Reipublicæ Judaïcæ statum respexisse videtur: Manasses quippe non in bellô, sed fraude, et dolô ab Assyriis captus est, et non multò post liber dimissus, prout refert Josephus*; quò fit, ut in captivitate Regis Manassis nullum extiterit bellum, quod pacem in Israël conturbaret.

* lib. 10. Antiq. c. 4.

320. Verùm omnis, quæ hîc occurrere posset, tollitur difficultas, si relictâ hac opinione, dicamus Bethuliæ liberationem primùm factam fuisse, vel dum Manasses in captivitate adhuc detinebatur, vel etiam statim ac abeâ solutus regiam suam repetit, neuon abjectis rei politicæ curis, et in summum Sacerdotem Joachim seu Eliacim translatis, pœnitentiæ, et saluti suæ unicè intendit.

321. Non est hîc, quòd argumentis, quæ evinere videntur, Bethuliæ liberationem, et Juditha facinus evenisse tempore captivitatis hujus Principis, immoremur; satis enim erit, si ostendamus, illud de diutur-

nâ pace in Israël c. 16. v. 30. hujus libri Judith 279. ~~281.~~
assertum nihilominus esse verum, etsi dicatur, memoratum Juditha fuisse primùm postquam Manasses libertati restitutus fuit, audisse.

Conamur igitur, Manassem 322.
an. regni sui 16.to circiter, idest, circa annum M. 3322. libertati fuisse restitutum. Tantùm abest, ut id veritati repugnare videatur, quin potiùs multum hû dare nos manifestum est. ex Josephô namque constat*, Manassem * cit. loc. c. 5.
initiô jam regni sui fuisse in captivitatem abductum; nec diu, sed exiguô duntaxat tempore in illâ fuisse ~~dete~~ detentum inde colligitur, quòd, nullâ habitâ ratione captivitatis istius, eum 55. annis in Jerusalem regnasse asserat Auctor libri 2. Paralip. c. 33. v. 1. Multùm, inquam, ergò dare videmur, si dicamus, eum primùm annô regni sui 16.tô libertate donatum fuisse.

Dicendum quoque erit, Juditham 323.
jam tunc quadragenariam vitam protraxisse usque ad annum M. 3387. adeoque ab an. m. 3322. quo quadragesimum ætatis suæ annum agebat, adhuc sexaginta ~~quinque~~ annis superfuisse, sicque etiam verum erit non modò toto reliquô vitæ illius spatiô, sed multis quoque post mortem ipsius annis, non fuisse, qui perturbaret Israël: nam ab istô m. annô 3387. usque ad an. m. 3406. quo à Nabuchodonosore Urbs Jerusalem

capta est, ipsêque Joacim seu Joakim Rex una cum multis aliis captivus ductus est in Babylonem 19. anni effluxisse perhibentur, qui utique multi sunt anni post mortem Juditha.

324 Nec nos movere debet bellum adversùs Necchao Regem Ægypti an. mundi 3394. à Josiâ Rege Juda susceptum, in quo ipsemet interiit: nam per illud pax in Israële perturbata fuisse non videtur, quia non intra Regnum Israëlis, sed extra illud gestum fuit; eminverò tunc demum, ut jam diximus, pax in Israël perturbata fuit, cùm Joachim Josiæ in Regno Juda successor annô undecimô Regni sui, Mundi verò 3406. unacum primoribus populi in captivitatem abductus est Babyloniam.

325. Et verò, quamvis daretur, dictô an. m. 3394. pacem in Israël jam turbatam fuisse, tamen à morte Juditha usque ad hunc mundi annum 3394. septem adhuc residui videntur anni, quibus pax in Israël fuisse perhibetur, scilicet ab an. m. 3387. quo Judith mortem apetiit; qui utique sufficiunt, ut textui capitis 16. libri Judith veritas sua asserta maneat.

326. Ob. 6.to De festivô die, qui c. 16. v. 31. in memoriam hujus victoriæ, et Juditha facinoris quotannis à Judæis celebrari dicitur, nulla in

145

Hebræorum libris occurrit mentio, 279. ~~287~~ ~~283~~.
neque etiam de eo quidquam meminit Græcus Interpres. Ergo fictitium quid esse videtur.

5. 125

Resp. 1.o neg. 1.um membrum ant. Eodem enim die festum istud ab Hebræis celebrari videtur, quo Dedicationis, seu expiati Templi à profanatione Antiochi Epiphanis festum, quod etiam festum Encæniorum dicitur, et alio nomine festum luminum; quòd Hebræis tunc sub Machabæis repentina veluti lux post obscuram calamitatis noctem affulsisset. Cæterùm parùm refert, quòd in Græcò textu versus ille, qui festum in vulgatâ nostrâ commemorat, prætermissus sit.*

* vid. Calmet Dict. Bib. verb. Judith, et Verb. festum Dedicationis Templi.

Resp. 2.do trans. ant. neg. cons. Quamvis enim nulla nunc festivitatis olim ob Judithæ facinus instituta occurrat in Hebræorum libris memoria, non sequitur, eandem non fuisse institutam, sed tantùm quòd huius temporis fuerit abrogata.

Ob. 7.mo Mentita est Judith 327.
Holoferni Assyriorum militiæ Principi, dum ili dixit, c. 11. v. 15. Ego adduam te per mediam Jerusalem, quem tamen venerat oppugnatura. Ergo &c.

Resp. 1.o Quòd ipsa Holofernem verè per mediam Jerusalem duxerit, non triumphantem quidem, et victorem, ut Holofernes putaverat,

280.
~~284.~~ ~~283.~~ Sed victum et capite cæsum, prout Judith intelligebat.

Resp. 2°. Datô, quòd mentita fuerit Judith, non tamen sequitur, eam propter mendacium fuisse in Scripturâ laudatam, sed propter laudabilem affectum, quem habuit pro salute populi sui. vid. quæ hac de re alibi passim jam respondimus.

328 Ob. 8vo Si hæc Judith historia vera esset, idem, utpote tam memorabilis, utique meminisset Josephus in suis antiq. Judaïc. Atqui id ab ipso minimè prætitum est. Ergo p.

Resp. neg. seq. Maj. ratio patet ex iis, quæ suprà ad 1mam object. adversus librum Tobiæ num. 2°. et 3°. pag. ~~241~~ respondimus. Josephus in describendis Antiquitatibus Judaicis sibi proposuerat, ea tantùm litteris mandare, quæ in libris Canonicis Hebræorum continebantur, prout ipsemet profitetur*. Cùm igitur propter rationes suprà in responsione ad object. 1mam adversus librum Tobiæ memoratas liber Judith Esdrino Hebræorum Canoni insertus non fuisset, neque hebraïcè, sed Chaldaïcè conscriptus esset, mirum non est, quòd Josephus in describendis Judæorum antiquitatibus de eo siluerit p.

/5r.

* Proœm. totius operis, et lib. 10. c. 11.

De Libro Esther.

281. ~~329.~~ ~~265.~~ 329.

Fuit Esther seu Edissa filia Abihail, è Tribu Benjamin nata in Captivitate, et postmodum parentibus orbata à patruo suo Mardochaeo, qui à Nabuchodonosore Babyloniorum Rege quinquennis, ut quidam ajunt, captivus Babylonem an. m. 3416. abductus fuerat, educata floruit Susis Regiâ Persarum urbe circa initium, seu primos restitutae Judaeis libertatis annos*. Anno m. circiter 3485. à Dario Hystaspis filio Persarum Rege in uxorem eligitur, repudiatâ Vasthi Reginâ conjuge suâ.

Liber ipsius nomine inscriptus 16. capitibus continetur. Argumentum idius est humiliatio superborum, Vasthi Reginae scilicet, et Aman Supremi Principis apud Darium seu Assuerum, vel Artaxerxem, prout cum liber iste nuncupat, non quidem personae, sed regiae dignitatis nomina; et exaltatio humilium, Estheris videlicet, et Mardochai patrui ipsius.

Assuerus Vasthi conjugem suam, quod ad convivium invitata venire recusabat, repudiat, Estherémque sibi in uxorem deligit. Aman in Mardochaeum, quòd eum, juxta morem Persarum, adorare renueret, irâ commotus, illi, totique Hebraeorum genti interitum machinatur; hanc in rem decretum à Rege obtinet; sed Esther pro populi sui salute Regem deprecante, ipse decretum revocat, Amánque in eodem quinquaginta cubitorum altitudi-

* anni 70. captivitatis Babylonicae initium sumpserunt an. m. 3416. atque clausi fuêre juxta Jeremiae praeditionem an. m. 3487. cum jam anno m. 3469. Cyrus Persarum Rex Judaeis in patriam redeundi potestatem fecisset. Quoetiam anno incepta est sexta mundi aetas, quae duravit usque ad Christi adventum, annum m. scilicet 4000. quo septima denique aetas sumpsit initium ad finem mundi duraturas.

Cta 126

nis patibulô, quod Mardochæo paraverat, Rege jubente suspenditur, universáque ipsius familia, omnésque Judæorum hostes nici ab ipsis Judæis tradunturMardochæus verò à Rege extollitur, atque honoribus cumulatur.

331 In perpetuam autem hujus ab exidiô, quod Aman decreverat, populi Judaici liberationis memoriam dies festus singulis annis peragendus decimâ quintâ mensis Adar, qui cadit in partem mensium nostrorum Februarii, et Martii, constituitur à Mardochæô, et Esthere; húnque diem appellarunt Phurim, seu Sortium quòd idem Dies ab Aman per sortem electus fuisset ad occidendos Hebræos. Hæc libri hujus epitome.

332. Quis autem hunc librum scripserit, non ita certum est. Illum Esdræ adscribunt Epiphanius, de pond. et mens. c. 4. Augustinus, de civ. lib. 18. c. 36. et Isidorus, Orig. lib. 6. c. 2. Fortè illius restaurator fuit.

Clemens Alexandrinus autem, quem nonnulli Rabbini, multíque recentiores Interpretes sequuntur, eum Mardochæo tribuit, quippe qui, ut ibid. c. 9. v. 20. 25. et 26. Item c. 12. v. 4. legitur, omnia hæc scripserit, et litteris comprehensa ad Judæos miserit: hi verò in solemnem ritum cuncta susceperint... quæ à Mardocheô ~~faciendæ~~ litteris prescripta ac fieri mandata fuerant.

Serarius verò Mardocheum et Estherem operas suas ad libelli hujus scriptionem simul contulisse colligit

ex textu Septuaginta Interpretum c. 9. 283. ~~271. 287.~~
ubi dicitur, quod Esther, et Mardochæus scripserint, quæ fecerunt. At vulgata nostra eodem cap. v. 29. nonnisi de secundâ Epistolâ loquitur, quam hi ambo scripserunt, ut solemnitas ida Sortium sanciretur.

At tractatus satis probabiliter putat, librum hunc, quem Mardochæus scripsisse dicitur, nihil aliud esse, quàm Epistolam ad Judæos missam, et eo fine scriptam, ut Judæi Sortium festivitatem singulis annis statâ die celebrarent, ut habetur ex secundâ Epistolâ ipsius, et Estheris, de quâ fit mentio c. 9. v. 29. et ex initio capitis 10mi. quo opus claditur, atque narratur, quantò in honore tum apud Persas, tum apud Judæos habitus sit Mardochæus. Nec enim, inquit, scribere potuit Mardochæus, se misisse librum ad Hebræos, et ipsos ea, quæ in illo mandabantur suscepisse et observasse: prius namque isti librum accepisse debuerunt, antequam illa, quæ eo continebantur, susciperent, et observarent.

* Demonst. Evang. propos. 4. de lib. Esther. pag. 371. edit. Lips. 1694.

At responderi posset, librum suum scripsisse Mardochæum primùm postquam accepisset, Judæos ea omnia, quæ mandaverat suscepisse, et observare. 333.
Vel hæc deinceps libro huic addita fuisse ab Esdrâ, qui librorum Canonicorum fecit collectionem.

Dicendum ergo videtur, Esdram, 334.
seu Synagogam magnam, idest, generalem illam Judæorum Synodum post

~~288.~~ ~~217.~~ reditum à captivitate Babylonicâ celebratam libri hujus editionem ex Mardochæi et Estheris Epistolis ac monumentis adornasse, neuron posteris transmisisse.

Librum hunc Sacrum esse, et Canonicum tenet Ecclesia. Anabaptistæ verò et ~~non~~ multi Lutherani, quibus adstipulatur Auctor placitorum quorumdam Hollandiæ Theologorum Ep. 8. et 11. commentitium, et confictum eum esse arbitrantur.

Plura 127

Quidam verò Ecclesiæ Patres, et Doctores Septem postrema illius capita duntaxat velut apocrypha autumant esse rejicienda: in quâ sententiâ fuisse S. Hieronymum ex ejus præfatione colligi videtur. Secuti sunt eum non modò ante Concilium Tridentinum Lyranus, Dionysius Carthusianus, Hugo, et Thomas de Vio Cardinales*; sed etiam post dictum Concilium Sixtus Senensis*. Verùm contra hos omnes pugnatur

1 * In comment. in lib. Esther.

2 * Bib. Sanct. lib. 1. et 8.

Conclusio.

335. Liber Esther est Divinæ auctoritatis, et Canonicus, non modò quantùm ad novem priora capita, sed etiam quoad septem posteriora.

Prob. 1.a pars Conclusionis 1.o Ex S. Scripturâ. 2.o Ex ipsomet hoc libro. Liber iste nihil nisi divinum spirat, ut pote, qui miraculosam prorsùs populi Israëlitici ab imminente exidio factam à Deo liberationem enarret. Atqui dubium non est, quin Deus, qui prodigium hoc pro majori gloriæ suæ apud homines augmento, et ad ipsius cultum et fiduciam apud fideles magis promovendam posteris scripto commendari

voluit, in illô conscribendô Mardochæo, et Estheri, vel Esdræ, vel Synagogæ magnæ, vel alii cuiunque denuum illius Auctori specialiter adstiterit, p. Ergo p. 285.

2º Ex lib. 2. Machab. c. 15. v. 37. ubi fit mentio festivitatis à Mardochæô institutæ, à Synagogâ magnâ suscepta, et ab Hebræis servatæ in memoriam eorum quæ per Dei auxilium gesta fuisse in libô Esther narrantur, quemadmodum et Sortium ipsa festivitas ibidem exprimitur. Atqui hujus festivitatis mentionem non fecisset auctor iste, nisi compertum habuisset, librum, quo hujus celebritatis institutio continetur, Canonicum, adeoque divinæ auctoritatis fuisse. Ergo p.

Cb. 2dº Ex Traditione Judæorum. 336.

1º Quia ex omnium tum Hebræorum tum Christianorum Scriptorum sententiâ, si Melitonem, apud Euseb. lib. 4. Hist. c. 26. Pseudo-Athanasium, in Synopsi. Et Gregorium Nazianzenum, Carmine de genuinis Scripturis, excipias, relatus est ab Esdrâ et Synagogâ magnâ in Canonem Sacrorum Librorum. 2º Quia à Septuaginta Interpretibus, seu Hellenistis, qui illos Sacros libros Dintarat sunt interpretati, quos Hebræi in suô Canone collocabant, suæ versioni est insertus.

3º Quia Josephus, qui ea tantum litteris se mandare testatur, quæ in libris Canonicis Hebræorum continebantur*, Hanc historiam ex libro Esther fusè narrat*.

* Proëm. in lib. de Antiq. et ibid. lib. 10. c. 11.
* Ibid. lib. 11. c. 6.

Cb. 3tio Ex Traditione Ecclesiæ Christianæ 337.

1º Ex Conciliis supra, ubi de libro Tobiæ egimus, adductis. Item ex Conciliô Laodicenô c. 59. 2º Ex

~~190. 191.~~ Sanctis Patribus tam Græcis, quàm Latinis ibidem citatis, ut sunt Origenes, in Psal. 1. Eusebius, lib. 3. hist. c. 25. Cyrillus, Catech. 4. Damascenus, lib. 4. c. 18. Chrysostomus, Hom. 3. ad populum Antiochenum. Hilarius, in Psal. 1. Innocentius I. Papa, Epist. 3. Ruffinus, in Symbolo. Hieronymus, in hunc librum. Augustinus, lib. 2. de Doct. Chr. et alii quamplures, qui librum Esther inter sacra volumina recensent.

338. Adde hîc omnia ea argumenta, quæ supra pro divinâ librorum Tobiæ, et Judith auctoritate adduximus.

339. Prob. 2da pars Conclusionis 1o. Ex Traditione Judæorum. 1o. Ex Versione Septuagintà Interpretum, in quâ hæc septem postrema capita ex Hebræo translata continentur. Atqui hi Septuaginta Interpretes seu Græca hujus interpretationis Autores ista septem postrema libri Esther capita operi suo non inserissent, nisi ea velut Canonica agnovissent. Ergò non aliunde ea transtulerunt, quàm ex Hebræo Estheris libro Canonico et sacro. Ergò et ipsa sunt Canonica.

Ova pag. 128.

340. 2o. Josephus, ubi historiam hanc recenset, orationem Mardochæi ex c. 13. et Epistolas Assueri ex eodem c. 13. et ex c. 16. libri Esther refert, velut ex libro Canonico excerptas. Ergo et hæc capita, quibus ipsa continentur, canonica censuit, si ea Ivo, tum etiam cætera. Atqui id nonnisi ex traditione ipsi innotescere potuit. Ergò sacra horum capitum auctoritas Judæorum Traditione firmatur.

Prob. 2.do eadem pars ex Traditione Ecclesiæ.. Vetera Concilia, et omnes Sanctiores Patres cùm Græci tùm Latini, quos primùm protulimus, quique librum Esther Sacræ Scripturæ Canoni accensuerunt, de eo libro loquuntur, quo universa Ecclesia tam Græca, quàm Latina illo ipsorum ævo utebatur. Atqui certum est, Ecclesiam universam idorum Patrum ævo usam fuisse in legendis libris Sacris Veteris Testamenti editione Italâ, quam S. Hieronymus postùm appellat vulgatam, quæ Græcorum linguâ, et litteris continetur. Ergo de eo libro loquuntur prout in editione Italâ ad Græcum textum, quo Patres Græci utebantur, expressâ continebatur. 287. ~~341.~~ 341.

Subsum. Atqui in illâ editione Italâ septem hæ postremæ capita continebantur, ut pote ad Græcum textum et Septuaginta Interpretum versionem expressâ, quod et ipse Hieronymus testatur*. Ergò memorata Concilia, et SS: Patres de eo libro loquuntur tanquam Canonico, prout etiam septem illa postrema capita continet. * c. 10. Esther, et seq.

Confirm. SS: Patres, ut Chrysostomus, Hom. 3. ad popul. Antiochen. et S. Augustinus, Epist. olim 199. ad Eudiciam, ex postremis his septem capitibus testimonia petunt: atque Origenes ipse, Epist. ad Jul. Afric. ea Sacra, et Canonica esse demonstrat. Imò Ecclesia ipsa ex illis capitibus quædam in suum officium transtulit. Nam feriâ 4.ta post Dominicam 2.dam Quadragesimæ inter Sacrorum solemnia legit caput 13. sicut 342.

~~192. 290.~~ et in Missâ, quæ adversus Paganos diuïbolet. Item Dominicâ 22dâ post Pentecostem Evangeliô decantatô Orationem Esther ex ejusdem c. 14. recitat. Ergò &c.

343. Prob. denique ex Conciliô Tridentinô, quod Sess. 4. Omnes S. Scripturæ libros paulò ante abipso enumeratos, inter quos et liber Esther recensetur, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesiâ legi consueverunt, et in vulgatâ editione continentur, velut sacros, et canonicos suscipiendos esse sanxit. Atqui septem postrema libri Esther capita, hujus libri partes constituunt, et in Ecclesiâ legi consueverunt, necnon in Vulgatâ editione continentur. Ergò etiam illa tanquam Canonica, et divinæ auctoritatis suscipienda decrevit Concilium Tridentinum.

Solvuntur Objectiones.

344. Ob. 1.º contra primam partem Conclusionis. Historia Esther videtur omninò conficta, et mera Tragicomœdia esse. Ergo et liber, qui illam continet, adeoque minimè canonicus reputari debet.

Resp. neg. ant. Illius falsitas vel ex eo patet, quòd Septuaginta Interpretes librum hunc, adeoque et historiam illo contentam velut omninò veram Versioni suæ inseruerint, eámque Josephus ~~ob~~ tanquam verè factam referat*. Et, cùm solemnitatem Phurim, seu Sortium à Mardochæô ibidem præscriptam, et à Judæis susceptam, ipsi tamdiu servaverint ac celebraverint, prout habetur ex lib. 2. Machab. c. 15. v. 34. Ex Josephô*, atque etiam ex Codice Theodosianô 1.*, Ne-

* loc. sup. cit.

* loc. cit. c. 6.
* leg. Judæos tit. de Judæis.

Primo. R
pag 129

mo sana mentis, et nisi planè ceritus et ve- 289.
cors opinari poterit, ex figmentô aut Tragi-
comediâ religionem festi hujus diei, et
aniversariam celebritatem profluxisse.

Ob. 2do Non potest satis explicari, 345.
quo tempore hac historia evenerit, et quis
sit ille Rex Assuerus, seu Artaxerxes. Ergo.

Resp. neg. ant. Jam suprà insinuavimus, historiam hanc evenisse circa initium sexta mundi ætatis, et annum M. 3485. quo Esther, seu Edissa in uxorem ab Assuerô assumpta fuit.

Assuerus verò, qui et Artaxerxes Regia dignitatis nomine appellabatur, non fuit alius, quàm Darius Hystaspis filius. Assuerus enim ille Persarum Rex, sub quo hac historia contigit, quique maritus fuit ~~Esther~~ Estheris, regnavit, prout cap. 10. libri hujus legitur, super centum viginti septem provincias, et tertiô annô imperii sui fecit grande convivium cunctis Principibus, et Pueris suis fortissimis Persarum, et Medorum inclytis, et Præfectis provinciarum coram se. At id apprimè convenit Dario Hystaspis filiô, qui, ut ait Herodotus*, Indos subegit; et qui, prout legitur in librô 3tiô Esdræ*, fecit cœnam magnam omnibus vernaculis suis, et omnibus Magistratibus Media, et Persidis, et omnibus Purpuratis et Satrapis, et Consulibus, et Præfectis subido ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem provinciis. Iste liber, quamvis Canonicam non habeat autoritatem, æquali tamen potet autoritate ac alii libri ab Historicis pro-

* lib. 4. c. 44.
* c. 3. v. 1. 2. et 3.

~~294.~~ ~~[illegible]~~ famis editi, ubi videlicet S. Scriptura non repugnat.

Quòd si hac responsio Adversariis ad palatum non sit, quamvis nihil verisimile eidem opponi posse arbitremur, dicemus, quòd, etsi certò definiri non posset, quo tempore hac historia acciderit, et quis sit ille Assuerus Persarum Rex, non minùs tamen ipsa sit vera, cùm innumera perè alia historia Sacrâ Scripturâ contineantur, quarum ætas, et tempus certò definiri non possit, quamvis tanquam vera ab omnibus habeantur. Unde responderi potest ad objectionem concessò, seu transmissò Ant. neg. cons.

346. Ob. 3tio contra 2dam partem Conclusionis. Hæc septem postrema Capita in Hebraeo, quo sermone liber hic Scriptus fuisse dignoscitur, desiderantur. Ergo videntur supposititia esse.

Resp. trans. ant. neg. cons. Jam supra ostendimus, Septuaginta Interpretes illa septem postrema capita ex Hebraeo in Graecum translata suæ Versioni inseruisse, ad quam vetus vulgata Latina versio communi sermone Itala dicta efformata fuit. Ergo, etsi nunc in Hebraeo desiderentur hæc septem postrema capita, atque etiam jam tempore S. Hieronymi in eo desiderata fuerint, tamen antiquitùs in Hebraeo legebantur, eaque, prout testatur Origenes*, ex Hebraeis exemplaribus fideliter in suis Versionibus Graecis Septuaginta Interpretes, et Theodotion expresserunt.

Profectò Josephus etiam, ubi historiam Esther recenset, videlicet lib. 11. antiq. c. 6. duas Epistolas Assueri, quæ in vulgatâ nostrâ c. 13. et 16. leguntur,

* Epist. ad Julium Afric. et Tom. 2. in Joan. ubi ex 14to huius libri cap. nonnulla proferens, ait: In libro Esther, qui est juxta Septuaginta.

et orationem Mardochai c. 13. expressam refert, quæ tamen nunc in Hebraeis Codicibus desiderantur. Fortè qui primus Estheris historiam suscepit scribendam, illius tantùm summam conscripsit, quam subindè alius magis fusè enarravit, atque septem his capitibus, quæ in nostrâ vulgatâ postremò loco posita sunt à D. Hieronymo, ornavit. 291. ~~299~~. ~~299~~. 2 130

Ob. 4to. Hæc septem postrema capita cum novem prioribus non cohærent. Ergo sunt fictitia. Ob. ant. Prioribus capitibus narrantur insidiæ duorum eunuchorum factæ anno septimo Asueri, additúque, Mardochæum, qui eas detexerat, nihil pro tanto officio mercedis accepisse. At c. 11. et 12. dicuntur hæ insidiæ factæ anno secundo Asueri datis Mardochæo pro delatione muneribus. Atqui hæc apertè sibi invicem sunt contraria. Ergo p. 347

Resp. neg. ant. 1mi Arg. Additus probationem, neg. Maj. Illa capita, quæ in Vulgatâ nostrâ tanquam postrema leguntur, revera non sunt postrema, sed quædam eorum pertinent ad libri initium; ut sunt ea, quæ referuntur de somnio Mardochæi, et insidiis eunuchorum. Quædam ad medium; ut Epistola Artaxerxis, c. 13. Oratio Estheris, c. 14. Ejusdem ad regem accessus c. 15. Et altera Artaxerxis Epistola c. 16. Quædam autem ad finem, ut Somnii Mardochæi declaratio, c. 10. p.

Hujus fidem faciunt Græci Codices, in quibus omnia hâ ordine collocata leguntur; ipsaque eâ de re S. Hiero-

nymi annotationes c. 10. 11. et Seqq. Vulgatâ nostrâ inserta. Ea autem capita ad finem Libri, ubi eadem collocavit Hieronymus, Eulesia reliquit, ut intelligamus, quid ad integritatem hujus libri pertineat, quidque in Hebraeorum Codicibus non inveniatur.

Insidiae autem factae sunt anno Septimo Asueri, non verò Secundo, neque hae Cap. 11. verba, Anno Secundo p. debent extendi usque ad narrationem insidiarum, quae habetur c. 12. Sed solùm ad ea, quae dicuntur ipso cap. 11mo id est, ad Somnium, quod habuit Mardochaeus, antequam Esther Asuero nuberet. Nec etiam adhuc Mardochaeus delationis mercedem receperat, cùm Rex Annales sibi relegi jussit; tamen posteà recepit amplissimam, quae c. 6. v. 3. atque denum c. 12. v. 5. denuò indicatur per hae verba, Datis pro delatione muneribus.

348. Ob. 5.to Cap. 9. v. 6. dicitur Aman Agagita, seu oriundus ex Stirpe Agag Regis Amaleitarum, vel genere Amaleita. At Cap. 16. in Epistolâ Asueri idem Aman dicitur gente et animo Iniquus Macedo, Persarumque Regnum ad Macedones transferre voluisse. Atqui, prout historia memoriâ proditum est, Macedonum regnum tempore Artaxerxis, seu Asueri nostri adhuc fuit obscurissimum, et penè ignotum, nec proinde timere potuit Rex iste, ne Persarum regnum ad Macedones transferretur. Ergo p.

Resp. 1o. Aman dici posse ex paternò genere duxisse originem ex Stirpe Agag Regis Amaleitarum idcirco, quem

Samuel in frusta comidit*, adeoque Amaleuitam fuisse, sed ex materno genere fuisse Macedonem. 2°. dici potest, quod Aman patriâ quidem Macedo fuerit, Græcus nempè, sed origine prodierit ex stirpe Agag Amaleuitarum Regis, et hoc sensu dictus sit Amaleuita; credibile quippe est, aliquos ex profligatis Amaleuitis ad Græcorum partes profugisse, et ex illis ortum Aman potuisse gente Græcum, seu Macedonem appellari à Græco libri hujus Interprete, quia hujus ipsius Interpretis ævo Macedonum nomine comprehendebantur cæteri alii Græci, utpotè quòd Macedonia esset pars Græciæ potior, et nobilior. Unde ait Huetius*, hic Græcum Epistolæ Phurim Interpretem, quem Lysimachum illum fuisse, de quo fit mentio cap. ii. v. i. lib. Esther, et cujus Versionem Septuaginta Interpretes magnâ ex parte conservarunt*, in vertendo libro hoc intemperanter luxuriasse, atque pro eâ, quam sibi sumpserat, libertate pro Agagitâ, quod nomen caput 9. refert, reddidisse Macedonem, nullâ habitâ ratione temporis, quo vel hæc facta sint, vel scripta; sed solùm illius temporis, quo ipse ea interpretabatur, ùm nempe Ptolemæus Philadelphus regnaret, vel paulò priùs; quâ tempestate Persarum animis vehemens insidebat adversùs Macedones odium, vel Regum horum desiderio, quos divinis prosequebantur honoribus, vel pudore subacto abiens armis florentissima gentis hæc, vel Macedonum impotenter dominantium impatientiâ.

293. ~~297~~. * 1 Reg. c. 15. v. 33.

k loc. cit. pag. 374. edit. Lips. an. 1694.

l Graveson. Hist. Eul. Tom. 3. Colloq. 2. De lib. et Hist. Esther. pag. 132. edit August. an. 1728.

Stea 131

m
*c.9.

3.o Dici potest, hunc Agag, ex quo dicitur* Aman originem traxisse, non fuisse illum Amalecitarum Regem à Samuel olim occisum, sed Græcum quemdam virum, seu Macedonem nomine Agag. Et hinc est, quòd nec textus Hebraicus, nec ulla libri Esther versio hunc Agag, ex cujus stirpe ortus est Aman, appellet Amalecitam. 4.to Dici potest, quòd fortè Interpres historiæ parùm peritus, cùm magna Græcos inter et Persas bella olim gesta, et multis denùm cladibus auisas penitùs horum res et contusas à Macedonibus fuisse audivisset, istos cùm Græcis confuderit, partem videlicet cum toto, ea, quæ ab his antiquis Persarum hostibus jam olim gesta fuerant, novitiis illis Macedonibus adscribens, et Macedonis nomen pro Græci nomine usurpans; præsertim cùm, prout jam insinuavimus, credibile sit, post debellatos Persas totam Græcorum gentem apud peregrinos potissimùm, Macedonum nobilioris videlicet Græcia partis, nomine venisse. Itaque cùm in hâc interpretatione Macedonis nomen occurrit, Græcum intelligi debere videtur. 5.to denique parvis hac difficultas levatur dicendo, cap. 16.to mendum Versioni inepsisse vel Interpretis, vel librariorum oscitantiâ, aut ignorantiâ, atque locò Macedonis ponendum esse Agagitam prout habetur cap. 9. v. 6.

349. Ob. 6.to Veteres Patres, ut Melito, Pseudo-Athanasius, et Gregorius Nazianzenus supra adducti, quos quantum

ad Septem postrema hujus libri capita sentiunt recentiores Interpretes Lyranus, Hugo, et Thomas de Vio Cardinales; recentissimè verò Sixtus Senensis post Concilium Tridentinum scilicet, tam historiam velut apocrypham rejecerunt; in quâ sententiâ, quoad septem postrema illius capita nempe etiam fuisse videtur S. Hieronymus. Ergo p. 295. ~~299~~.

Resp. com. ant. neg. cons. Erronea paucorum Veterum horum Patrum et quorumdam aliorum Interpretum opinio nihil officere potest veritati, et autoritati hujus historiæ, atque libri ipsius, quæ illa continetur, utpotè quæ unanimi tùm Synagogæ, tùm Ecclesiæ consensu perpetuâ temporum serie firmata sit, et stabilita. Equidem, quia hæc capita è variis hinc indè locis sunt excerpta, sequi videtur, interpolatum esse librum, atque discerptum, necnon aliquâ hic parte mutilatum; et fortassis hanc ob causam à Melitone Asianô, Pseudo-Athanasiô, et Gregoriô Nazianzenô è Sacrô Canone expunctum. Atque ob eandem rationem à quibusdam recentioribus Interpretibus Septem postrema illius capita reiecta fuerunt.

Objicit 7mo Sixtus Senensis*, Si Septem hæc postrema capita velut Canonica Autoritatis suscipi deberent, tum velmaximè, quia in Concilium Tridentinum à nobis paulò superiùs adductum apertè definire videtur. Atqui hoc est falsum. Ergo p. Ab. min. Concilium istud solùm de veris, et germanis Sacrorum librorum partibus loquitur, non verò de

390. n
* lib. 1. Bib. Sanct. lib. Ether. append. pag. 33. edit. Colon. an. 1576.

M Dan. ~~300.~~ ~~287.~~ caeris quibus appendicibus, et pannosis additamentis, à quovis incognito Autore temerè appositis, et utcunque infutis. Atqui hujusmodi sunt septem postrema libri hujus Capita. Ergo &c.

Resp. ad 1mum Arg. neg. min. ad idius probat. neg. etiam. min. Si Sixti argumentum verum esset, multa alia aliorum Sacrorum Librorum partes, ut Danielis, Marci, Lucae, Joannis, quae non secùs ac ista postrema Libri Esther Capita inversò quodam rerum ordine posita videntur, etiam rejici, aut in discrimen vocari possent, atque dici posset, Concilium de veris partibus esse locutum, ea verò esse additamenta, non partes. Deinde Concilium definit, omnes, quos enumerat libros, adeoque et Librum Esther, cum omnibus suis partibus esse suscipiendos velut Canonicos. Quorum autem hoc, nisi ut omnes intelligant, eas etiam partes, de quibus aliquando erat controversia, ad Sacrorum librorum Canonem pertinere?

Sed Sixto os penitùs occludere debent haec, quae statim de Sacris libris in Canonem recipiendis Concilium subjungit verba: Prout in Ecclesiâ legi consueverunt. Atqui haec septem postrema libri hujus Capita in Ecclesiâ semper legi consueverunt, atque, prout supra ostendimus, multa ex aliis in suum officium transtulit eadem Ecclesia. Ergò &c.

351. De Libro Job.

Job, aliàs Jobab in Scripturâ dictus*, ut et à Septuaginta Interpreti-

* Genes. 36. v. 31. 32. et 33. Item 1 Paralip. c. 1. v. 43.

bus in eâ clausulâ, quam ipsius libro at- 297. ~~300~~, ~~301~~.
texuerunt, quóque reperitur in omnibus Græcis Codicibus, vir fuit virtute, patientiâ, et pietate insignis; filius Zare, et pronepos Esau, Principatum, seu potiùs Regiam dignitatem in terrâ Edom, sive Idumeâ obtinuit post Belam filium Beor, prout legitur apud Moysem*, et apud Septuaginta*; fuitque secundus Rex Idumæorum, necnon terram Hus, seu Auritidem in Orientali Idumeâ in Bozra, et Arabiæ deserta finibus sitam incoluit.

* Genes. 36. v. 31. p.
* Ad calcem lib. Job.

Tertiâ mundi ætate jam jam ad finem vergente, circa an. m. 2427. 352.
videlicet floruisse perhibetur. Dane, inquit Graveson*, eum ante Moysem vixisse, vel saltem ei coævum fuisse colligitur ex ipsius historiâ in libro, qui illius nomen præfert, conscriptâ; quippe in quâ ne minima quidem fit mentio de Lege Mosaicâ, et Prophetis; aut de admirabilibus, sive in longo in Terram Chanaan itinere, sive in Ægyptô, sive in Desertô, Dei operibus. Quod quidem argumento esse videtur, Jobum, et ejus amicos, qui illum consolaturi accesserant, ante Moysis tempora vixisse; vix enim credi potest, Jobum et ejus amicos, si Moyse posteriores fuissent, hæc omnia miranda tam altô premere silentiô voluisse, prout tamen ab ipsis factum.

* Tom. 2. Hist. Eulos.
q Colloq. 3. de Jobo

Præterea in eodem libro legitur 353.
Jobum solitum fuisse sacrificia offerre, quod certè licitum duntaxat fuit antè Legem Mosaicam; nam post Legis Mo-

~~302~~ ~~285~~. Saltu promulgationem solis Sacerdotibus Aaronicis, sive idis, qui erant è Tribu Levi sacrificia in Templo fas erat offerre.

Verùm, inquit Calmett, de Israëlitarum ex Ægyptô egressu loquens videtur Job. c. 26. v. 12. his verbis: In fortitudine illius repentè maria congregata sunt, et prudentia ejus percussit superbum. Ex quo habetur, idem Moysis coævum, eúque aliquot annis aliquot ab Israëlitarum ex Ægyptô egressu statui oportere.

* Dict. Bib. Verb. Job.

354. At citatô capite per totum Job Dei incomprehensibilem potentiam ex ejus operibus tantùm demonstrat, atque potiùs alludere videtur ad modum, quo Deus mundum creavit, atque aquas congregavit, quas maria appellavit; ita ut de egressu Israëlitarum ex Ægyptô ne cogitaverit quidem, aliàs utique etiam cætera, quæ tum temporis in Israëlitarum gratiam perpetravit Deus, mirabilia tam commodâ ad id occasione, non prætermisisset.

355. Ad Græcorum, et Arabum Jobi exemplarium calcem, necnon in veteribus vulgatis latinis Biblis, hæc, ut ajunt, è Syriacô deprompta leguntur: Hic in terra quidem Austitide redditur habitans in finibus Idumææ, et Arabia, et erat ei nomen Jobab. cum autem accepisset uxorem Arabissam, generat filium, cui nomen Emmon: erat autem ipse ex Patre quidem Zare de filiis Esau filius, matris autem Bosorræ; ita ut ipse sit quintus ab Abraham. Et hi sunt Reges, qui regnaverunt in Edom, cujus regionis etiam ipse Domi-

133

natus est; primus Balac filius Beor, et nomen civitatis ejus Dennaba; post Balac autem Jobab, qui vocatur Job; post hunc autem Asom, qui erat Dux ex regione Thamanitide; post hunc autem Adad filius Barad, qui exuit Madian in campo Moab, et nomen civitatis ejus Gethem; amici autem, qui ad eum venerunt, Eliphaz de filiis Esau Themanorum Rex, Baldad Tyrannus Sauchaorum, Sophar Rex Minaeorum. 299. ~~284~~. ~~305~~.

Hanc vetustissimam Jobi genealogiam probant Aristaeas, Philo, Polyhistor apud Eusebium*; eamque citant Graeci et Latini Patres, atque sua Graeca versioni inseruit Theodotion; quam proinde cum à vetustis Patribus comprobetur, et à Judaeis ad nos pervenisse videatur, rejiciendam non censemus, praesertim cum lib. i. Paralip. c. i. v. 35. 37. et 44. eam expressam legamus. Invenimus praeterea, Jobum in aequali consanguinitatis gradu cum Moyse fuisse. Utriusque genealogiae Schema subjicimus. 356.

* lib. 9. praepar. Evang. c. 25.

Abraham

Isaac

Jacob	Esau*
Levi	Rahuel
Amram	Zare
Moyses	Jobab, seu Job.

* i. Paralip. c. i. v. 35. 37. et 44.

Porro Liber Jobi nomine inscriptus eximia patientiae exemplum exhibet, atque 42. capitibus describit prosperam, et adversam Principis hu- 357.

jus fortunam, lamenta, et lamentorum causas, tædium vitæ, mortis votum. Illum in fletus effusum, vehementérque de suis erumnis dolentem, et conqueentem tres amici ipsius, qui eum consolaturi accesserant, nequitiæ insimulant, hortantúrque, ut pœnitentiâ ad Deum reversus divinam agnoscat justitiam, quæ de ejus flagitiis vindictam sumpturæ, tot calamitatibus in eum animadverterat.

Job verò innocentiæ suæ sibi conscius, gravioribus, quàm mereretur, se pœnis affectum asserit; justósque, vel tantùm ad eorum constantiæ experimentum, vel etiam ad perfectionis incrementum, vel denique ob Dei judicia hominibus omninò impervia ab eo quandoque pleni ostendit.

Ejus amici nihilominùs in aliam prorsùs sententiam abibant. Quod discrimen solaturus è turbine Dominus eos alloquens pro Jobô decrevit; quin tamen quædam temerè ab eo prolata, quæ doloris vehementia, et disputationis ardor veluti per vim ab illo extorserant, comprobaret. Quare Job errorem fassus veniam à Deô postulavit, et impetravit. Dominus verò increpatis Jobi amicis, quòd adeò temerè illum condemnassent, imperat, ut sacrificiis ab ipso Jobô offerendis peccata sua expiarent: Dæmonéque interdictô, ne ei amplùs noceret, geminatis faultatibus, plurimâ prole adauctum, felicissimô tandem obitu è vivis demigrantem sinus Abraha ex-

cepit. Hæc Jobi historia Synopsis. 301.

Quisnam Libri ipsius Autor sit, 358.
seu Scriptor disceptatur. Quidam ab ipso Jobo Syrorum, seu Arabum idiomate primùm exaratum volunt ex c. 19. v. 23. ubi ipsemet ait: Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei &c. quem posteà Moyses, vel aliquis alius Israëlita in hebræum sermonem vertit. 6.34

Et ex his Jobi verbis nihil aliud colligi videtur, quàm vehemens desiderium, quo optabat, ut historia sua, et sermones conscriberentur.

Quidam illum Salomoni, vel Isaiæ, vel denique recentiori cuidam Autori tribuunt.

Fridericus Spanhemius, qui Jobi historiam accuratè, et eruditè prosecutus est, à Jobo quidem, aut Jobi amicis res in adversaria primùm fuisse lingua patria, Arabica nimirùm, seu Syriaca veteri relatas existimat*, et ex iis demùm circa Davidis, aut Salomonis tempora ab homine Hebræo conflatam fuisse eam, quam habemus, historiam. * Hist. Job. c. 13.

Huëtius tuetur*, librum hunc à Moyse scriptum fuisse, cùm apud Jethro socerum suum ex Ægyptò fugâ dilapsus degeret, ad solatium gentis suæ tum temporis Ægyptiorum tyrannide pressæ. In Arabiâ quippe tunc commorans, casus in ejus finibus toleratos vel ex vulgi sermone discere potuit: hánequé sham opi- * loc. cit. in Job.

358. nionem multis argumentis, et conjecturis roborat. Hac quoque sententia fuit Thalmudistarum *, quam amplexus est Autor posterioris Commentarii in Job, qui Origenis nomen praefert. Eandem secuti sunt Methodius apud Photium *, Polychronius, et Julianus Halicarnassens, apud Nicetam *, necnon recentiores benè multi. Idipsum etiam censuisse videtur S. Hieronymus; Sacros enim libros recensens *, Pentateucho librum Job statim subjicit, posthabitô etiamnum Josue libro, quo significare videtur, Moysis, et Jobi libros ejusdem esse autoris, et ætatis.

y * In Babathra. cv.

z * Cod. 225.

a * In catenâ in Job.

b * Ep. ad Paulin.

359. Licèt autem liber iste nihil, quo ejus Auctor clarè ~~dignoscatur~~ dignoscatur, pra se ferat, idum tamen religione Judæum, et Jobô posteriorem fuisse vult Calmet *. Idius autographum Hebraïcô quidem, sed pluribus Arabum, ~~phrasibus~~ et Chaldæorum phrasibus et periodis apud Hebræos minimè usitatis refertô idiomate conscriptum fuit; et partim solutâ, quantùm ad ea scilicet, quæ vitam, mores, calamitatem, et prosperitatem Jobi spectant, oratione; ipsius verba autem, amicorum interlocutiones, ejusdémque responsiones quod spectat, metricis numeris illigatum esse.

* loc. cit.

360. Undè facile est conjicere, opus istud compilatum fuisse ex Jobi ipsius, aut amicorum horum adversariis, seu monumentis Arabicô sermone primùm exaratis, quod interdum, ob sententiarum Lo contentarum

Dignitatem poëticô sermone velut ele- 303.
gantiori stylô Autor Hebræus exornârit.
Hinc quamvis historiam hanc, ejúsque circumstantias à veritate minimè abesse, atque simul colloquentium sententias integrâ fide ab Autore referri tueamur; dictionum tamen, et phrasium sonum Poëtæ, seu Autori tribuendum esse censemus. Quis enim sanæ mentis arbitretur, Jobum in summis corporis, et animi doloribus carmina ad uxorem, et amicos fudisse.

Liber hic Canonicus, et divinô afflatu conscriptus semper habitus est. Quæ de re ponitur.

Conclusio.

Liber Jobi nomine inscriptus 361.
est Canonicus, et divinæ auctoritatis.

Prob. Conclusio 1º ex S. Scripturâ, ac inprimis ex ipso Jobi librô, ut quinihil nisi sanctum, et divinum spiret, imò magna Dei miracula contineat, vel potiùs nonnisi unicum ingens sit miraculum.

2º. Ex librô Tobiæ, ubi c. 2. v. 12. et 15. hæc leguntur: Hanc autem tentationem /: cæcitatis :/ ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ipsius, sicut et sancti Job ..... Nam sicut beato Job insultabant Reges, ita isti /: Tobiæ :/ parentes, et cognati ejus irridebant vitam ejus. ℟.

3º. Ex Ezechielis c. 14. v. 14. ubi etiam hæc leguntur. Etsi fuerint tres

7. th 1351

~~308.~~ ~~297~~ viristi in medio ejus; id est terræ: Noë, Daniel, et Job, ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum.

4to Plurima ex eo libro transumpta cæteri Scriptores Sacri in sua volumina transtulerunt. Ut Jerem. c. 20. v. 14. ex Job, c. 3. v. 2. Psalm. 8. v. 5. ex Job, c. 7. v. 19. Psalm. 143. v. 4. Ex Job, c. 15. v. 9. Thren. 3. v. 8. et 9. ex Job, c. 19. v. 7. et 8. Psalm. 31. v. 12. et 13. ex Job. c. 19. v. 13. 14. et 18. Psalm. 107. v. 42. ex Job, 22. v. 19. Jerem. 12. v. 1. et seq. ex Job, 21. v. 7. et seq. Sapient. 7. v. 9. et seq. ex Job. 28. v. 15. et seq. Psalm. 110. v. 10. Prov. c. 1. v. 7. et c. 9. v. 10. ex Job, c. 28. v. 28. Sap. 6. v. 8. ex Job. c. 34. v. 19. Prov. 8. v. 29. ex Job, 38. v. 10. et 11. Psal. 146. v. 9. ex Job. c. 38. v. 41.

5o Testimonium libri Job tanquam sancti, et canonici adduxit Paulus Apostolus scribens ad Corinthios ubi, Sapientia, inquit*, hujus mundi stultitia est apud Deum, Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum. Atqui hoc Scriptum invenitur Jobi c. 5. v. 13. ubi ipse hoc de Deo eloquitur: Qui apprehendit sapientes in astutiâ eorum.

* 1 cor. c. 3. v. 19.

6o S. Jacobus in suâ catholicâ Epistolâ c. 5. v. 11. ex Jobi libro petit exemplum his verbis: Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus, et miserator.

Atqui hi Sacri Scriptores omnes Jobi tanquam viri sancti non meminissent, nec ex libro, qui nomen illius profert, sententias in suas Scriptiones

transtulissent, nec illum velut divinum citassent, nec denique testimonia, et eximia pietatis et patientiæ, deique miserationis exempla ex ido petivissent, nisi ipsius historiam veram, proindéque librum, quo ipsa continetur, sanctum, et canonicum reputassent. Ergo p. 305. ~~293~~ 304.

Ob. 2do ex Traditione Judæorum. 362.

1o certum est, librum hunc Esdrino canoni insertum fuisse, idque etiamnum testantur omnes Scriptores tam Hebræi, quàm Christiani. 2o. Aristæas, qui tempore Ptolemæi Philadelphi Regis Ægypti Scripsisse fertur, in suô de Judæis commentariô* hujus libri tanquam sancti meminit. * apud Euseb. lib. 9. c. 25. præparat. Evang.

3o. Septuaginta Interpretes illum Græco suæ Versioni velut sacrum, et Canonicum intexuêre. 4o. Josephus eum etiam inter libros Canonicos recenset*. Ergo p. * lib. 1. cont. Appion.

Ob. 3tio ex Traditione Ecclesiæ, 363.

Ab Apostolis, ut primùm vidimus, tanquam divinus additur, eâque, quam de Jobô continet, historia velut sancta laudatur. Post ipsos librum hunc SS: Patres, et Concilia, quorum testimonia suprà ad libros Tobiæ, Judith, et Esther retulimus, tanquam sanctum et Canonicum celebrant, p.

Solvuntur objectiones. 364.

Ob. 1o Josephus in Antiquitatibus Judæorum versatissimus, eandem referens, Jobi historiam altô prætermittit silentiô. Atqui utique illam non prætermisisset, si veram arbitratus

8.136

fuisset. Ergo vera non est, sed tanquam fabulosa est rejicienda.

Resp. Etsi Josephus lib. de antiq. Judaïc. Jobi historia, ut et libri ipsius non meminerit, meminit tamen lib. cont. Appion. ubi illum inter libros Canonicos Veteris Testamenti collocat, quod sufficit, ut ipse dicatur illius meminisse. Certè constat, eundem Josephum in suo de Antiquit. Jud. libro multa ad historiam sacram spectantia aut de industriâ omisisse, aut interpolasse, prout Demonstrat Dandilius.* Et sanè, cùm Josephus in hoc opere gentis suæ duntaxat historiam conscribendi provinciam susceperit, ad quam hæc Jobi, utpotè externi, et gentilis, historia nihil conferre poterat; mirum non est, quòd de eâ ibidem tiluerit.

* Dandilli in suâ gallicâ Operum Josephi versione.

365. Ob. 2do Liber iste videtur esse tragicomedia aliqua Hebræorum, hoc est, fabula partim secundùm comœdiæ, partim secundùm Tragediæ leges conficta, 1o Quia in principio ipsius historiæ cædes filiorum, ac filiarum Jobi, quod in Tragediis usu venit, referuntur, in fine verò, quod comedia proprium est, felices Jobi eventus ponuntur. 2o Quia nec de personis, nec de locò, nec de tempore, nec de autore hujus historiæ quidquam certi haberi potest, dissentibus inter se non minùs Hebræis, quàm Græcis, et Latinis Scriptoribus. 3o In eodem libro fit mentio Concilii Angelorum, cui ipsemet Deus præfuit; colloquii Satanæ cum Deo; variarum quæstionum diabolo factarum à Deo,

responsionum Diaboli p. quæ omnia 304. ~~295.~~ ~~311.~~
apertè fabulam redolent. 4.° Hujus historiæ Autor in ipso narrationis contextu à sibi propositô argumenti scopô multum aberrare videtur; cùm enim instituisset effingere personam hominis perfecti, ac inprimis tolerantissimi quem nec secunda, et prospera in superbiam everterent, nec adversa, et calamitosa in desperationem deprimerent: tamen in ipso narrationis cursu, contrâ instituti sui ordinem, et contrâ omnes patientiæ leges, patientissimum virum illum in crimen impatientiæ, et blasphemiæ, atque etiamnum desperationis sæpiùs trahit. Ergo.

Resp. 1.° Hæc omnia veritatem historiæ Jobi ejúsque existentiæ neutiquam infirmare posse; ut quæ omnium ætatum Autorum, imò ipsorum Sacrorum Scriptorum testimoniô tam apertè firmata sit. Unde negatur ant.

Resp. 2.do ad singula. Ad 1.um Ex eo duntaxat eruitur, historiam hanc quidem materiam subministrare præstanti cuidam tragicomediæ exhibendæ, non verò eandem esse meram fabulam.

Ad 2.dum neg. propositionem. Nam 1.° de personâ Jobi, et locô, ubi habitavit, atque universim de ipsius historiâ certum habemus ex ipsamet Jobi librô, et ex omnium ætatum tam sacris, quàm profanis Scriptoribus tes-

timonium; quamvis de ætate, qua vixerit, ob veteris Chronologiæ confusionem, et obscuritatem non satis apertè constet; tamen præstantiores S. Scripturæ Interpretes, et Chronologi probabilius illum paulò ante egressum filiorum Israël ex Ægyptò floruisse censent, atque Moysi fuisse coævum.

Ad 3tium neg. hæc fabulam redolere. Advertendum quippe est, in historiâ Jobi, non omnia in sensu litterali esse accipienda, sed quædam etiamnum in sensu figuratè, qualia sunt ea, quæ de Comiliò Angelorum, &c. ibidem memorantur: hujusmodi autem sensum sæpiùs alii Scripturæ sacræ libri usurpant, ut eos evolventi patet, nec tamen propterèa in fabularum censum venire possunt.

P. S. 137

C Ad 4tum Quæ fortè paulò durius à Jobò prolata in ejus librò leguntur, optimam semper patiuntur interpretationem, eâque sunt admodum pauca, necnon dolorisvi expressa, quæ, ut supra animadvertimus, nec Deus ipse probavit. Cæterùm ubique summæ patientiæ, pietatis, Spei, et resignationis in Deum monumenta prodit Job; prout ipsa libri lectio declarat.

366. Ob. 3tio Job à nobis dicitur fuisse genere Idumæus. Atqui Idumæi Ethnicorum religioni semper addicti fuerunt usque ad tempora Joannis Hircani Judæorum Pontificis,

et Regis, qui primùm circa annum M. 3869. ~~2897~~. ~~313~~.
3871. Judeis imperare coepit, atque circa
an. m. 3875. Idumaeos devicit, ~~nec~~
circumcisionem suscipere coëgit. Job
autem fuit vir timens Deum, prout
ipse illius liber loquitur. Ergo sp.

Resp. neg. min. nam Idumaei, qui ab Esau Patriarcha Isaac primogenitô originem duunt, per certum aliquod tempus sincerum, et verum Dei cultum retinuerunt, et eo adhuc tempore, quo in Idumaâ ortus est Job. Nec enim credibile est, Idumaeos, qui veram Dei religionem ab Esau acceperant, tam citò ab eâ deserisse, ut sub Jobô ipsius pronepote jam idola coluerint. Idumaei ergo tunc verum Deum colebant.

Ob. 4.to Libri hujus c. 7. v. 20. 3869.
Job dicit: Peccavi, quid faciam tibi ô custos hominum? Et tamen c. 27. v. 6. ait: Neque enim reprehendit me cor meum in omni vitâ meâ. Atqui hoc sunt contradictoria. Ergo saltem liberiste non est divino auctoritatis.

Resp. neg. min. Nam cùm priori locô Job dicit, Peccavi, loquitur de levi aliquo peccatô ante calamitatem suam commissô; at contrà quando dicit, Neque reprehendit me cor meum in omni vitâ meâ, loquitur de gravibus illis peccatis sibi ab amicis suis obiectis, seu de gravibus illis peccatis, quae conscientiam stimulant sp.

310.
~~314.~~ 368. Ob. 5tò Ibid. c. 40. v. 14. dicitur,
Ipse Elephas est principium viarum Dei. Atqui Genesis c. 1. multa alia recensentur ante Elephantem, cetera-que animalia à Deo producta. Ergo p.

Resp. cum cit. c. 40. dicitur Elephas principium viarum Dei, id in eo sensu intelligendum non est, quasi Elephas esset prima creatura à Deo producta, sed solùm quòd sit præcipuum omnium operum, animali ~~monstruosissimum~~ úmque terrestrium, tum ratione magnitudinis, tum ratione fortitudinis, tum ratione docilitatis, et quasi prudentiæ naturalis, quâ et sui heri, ac lectoris linguam intelligit, et plura alia ferè incredibilia præstat. De animalibus ergò hîc loquitur Iunta rat Job, atque inter illa præcipuum esse Elephantem arbitratur.

369. De libris Machabæorum.

Varia apud Sacræ Scripturæ Tractatores sunt hujus nominis Machabæus Etymologiæ; communiter tamen autumant, viros quosdam Judæos hoc nomine fuisse insignitos, quòd avitæ in Deum religionis indicio in suis insignibus has quatuor hebraicas litteras inscriptas habuerint, Mem, Caph, Beth, Jod, quibus hæc sententia per compendium exprimitur: Mi Camoca Bellohim, Jehova, idest, Quis similis tui in Diis Domine? quod ab Exodo desumptum est: Eo etiam artificio Romani litteras S.P.Q.

* Exod. c. 12. v. 11.

Q. R. in insignibus suis inscribebant, quibus hac sententia exprimebatur: Senatus, Populusque, Romanus. 369. ~~369.~~ ~~319.~~

Verùm quocunque demùm sit hujus nominis etymologia, profectò constat nomen hoc Asamonæis, ac primùm Judæ filio Mattathiæ, cujus proavus, vel pater teste Josephò*, Asamonæus vocabatur, imditum fuisse, à quo in fratres suos Simonem, et Jonatham, qui sub finem sextæ mundi ætatis pro tuendâ, et recuperandâ populi Judaïci libertate strenuam navarùnt operam contra Ægypti et Syriæ leges, quibus famosi hi Judæorum Duces, divinæ legis fervore aucti, arreptis armis constanter restiterunt bella feliciter confecerunt, hisque legibus iterum iterùmque devictis, ac profligatis, populum Judaïcum in libertatem vindicarùnt. 370.

* Antiq. l. 12. c. 8.

Porrò nomen istud in illos omnes etiam derivatum est, qui sui in legem studii, suæque, in defendendâ patriâ, et avitâ religione servandâ sub Antiochò Epiphane, virtutis præclara reliquêre monumenta. Hinc septem fratres, qui unacum matre suâ pro defensione legis martyrium sub impiò Rege istò fortiter subiêre, eo nomine donati sunt. 371.

Eodem quoque nomine libri illi inscribuntur, qui illorum temporum historiam complectuntur; prout et ille, in quo Ptolemæi Philopatoris in Judæos 371.

2138

312.
~~316.~~ Aegyptios diu ante Antiochum Epiphanem Syriæ Regem persecutio describitur. Enim verò persecutio Ptolemæi cœpit an. m. 3787. ante Chr. 213. ant. Cr. 217. Antiochi autem Epiphanis an. m. 3839. ant. Chr. 131. ante Cr. 135. adeoque inter hanc et illam 50. circiter effluxerint anni.

372. Quatuor circumferuntur hujusnominis libri, ex quibus duo priores Canonici, posteriores verò duo apocryphi habentur ab Ecclesiâ catholicâ.

Si chronologicè ordo servetur, tertius Machabæorum liber ante Primum, Primus post Secundum recenseri debent.

373. Primum Hebraicâ, seu Syriacâ, aut Jerosolymitanâ linguâ, eâ nempe quæ illis temporibus inter Judæos patrium solum incolentes jam indè à solutâ captivitate Babylonicâ in usu erat, scriptum testatur Hieronymus*; habeturque ex titulo olim huic libro præposito, quem refert Origenes his verbis*: Sarbet Sarbane el; nempe Sceptrum Principis filiorum Dei, sive rebellantium in Deum. Machabæi enim Sceptrum Domini in Israël contra adversarios sustinuerunt.

A pluribus tamen jam saeculis Hebraicus hic textus exuvit, unde idiomatis locò Græca versio pro originali habetur, ex quâ etiam latina decretò Concilii Tridentini probata versio adornata est.

374. Cujus Autor latet; oportet tamen, ut post Joannem Hircanum Summum Sacerdotem scripserit, quippè cujus exacta monumenta laudat, et ad quæ lectorem suum remittit*; unde ex iis collectus liber hic videtur.

l
* Jn Prolog. galeat.

m
* Apud Euseb. lib. 6. Hist. c. ult.

n
* 1. Machab. 16. v. ult.

Historiam 40. annorum 16. capitibus complectitur, à regno scilicet Antiochi Epiphanis, usque ad Simonis Sacerdotis obitum, ab an. m. videlicet 3829. ante Chr. 171. usque ad an. m. 3869. ant. Chr. 131. ante Dr. 135. atque varias hujus Regis persecutiones, egregiáque Machabæorum gesta recenset; fœdus abipsis cum Romanis initum, p. 313. ~~311.~~ ~~319.~~ 375

Supputationes item annorum à Mense Nisan, qui primus anni sacri mensis est, atque Martio nostro respondet, juxta Hebræorum morem exordiuntur; cùm tamen Syri seu Græci in Syriâ regnantes nonnisi post sex à mense Nisan menses, nempe circà Octobris initium annum auspicentur.

Secundus Machabæorum Liber majoris Operis à Jasone quodam Græcô de Epiphanis, et Eupatoris in Hebræos persecutione scripti, quod nostrâ ætate interidit, summa est, et epitome ab ignotô etiam græcô Autore compilata. Un- + 2. Machab. c. 2. v. 20. 376.

de non mirum, quòd, contrà quàm faciat primi Machabæorum libri Auctor, iste annorum supputationem Syrorum, seu Græcorum in Syriâ regnantium, more circa octobrem exordiatur. 3139

Seleucidarum quoque supputationem utrque liber sequitur, nempe juxta annos Græcorum, quibus in Syriâ regnare cœperunt, atque non quidem ab Alexandrô magnô, sed à Seleucô, qui primùm post illum in Syriâ imperium tenuit, annos numerare inciperunt. 377.

Duò postrema illius capita stylô

~~316.~~ ~~102~~ planè à cæteris diversò exarata, adeòut alium Auctorem præ se ferre videantur, gesta sub Demetriò Sotero Eupatoris successore completuntur.

Totum opus 15. Capitibus totidem annorum historiam prosequitur, quot minimùm à tentatâ per Heliodorum jussu Seleuci primi post Alexandrum Magni Syriæ Regis expilatione sacri Aræ usque ad Nicanorem à Juda Machabæo devictum intercessêre, idest, ab an. m. 3828. ant. Chr. 162. ant. Ar. 166. usque ad an. m. 3843. ant. Chr. 157. ante Ar. 161.

378. Tertius Machabæorum nomine temerè inscriptus liber est, quòd nec ad Judam, et fratres ejus Machabæos, neque ad Epiphanis persecutionem spectet; quin potiùs historiam persecutionis 50. ante annis adversùs Judæos Ægyptios à Ptolemæò Philopatore Rege Ægypti motæ describit, ac prosequitur, usque ad illius finem, qui incidit in an. m. 3787. ant. Chr. 213. ante Ar. 217. At Epiphanis edictum adversùs Judæos datum est primùm an. m. 3837. ante Chr. 153. ante Ar. 157. Sed fortè Machabæorum nomine etiam, ut diximus, insignitus est, ob similitudinem nempè studii in legem, et avitam religionem, quod Judæi Ægyptii non secùs ac Jerosolymitani diversis locorum, temporùmque circumstantiis exhibuerunt. Tertium eum dici autumat Grotius, quòd primùm post duos priores scriptus fuerit, quamvis anteriora gesta contineat.

Quartus Machabæorum nomine 315.
insignitus liber in eo totus versatur, ut quæ 379.
in secundo c. 6. v. 7. de Eleazari primum,
deinde de septem fratrum martyrio per
compendium referuntur, prolixius exhi-
beat. Pluribus scatet erroribus, atque
inter Opera Josephi Historici, cujus nomen
præfert, cum in pluribus Manuscriptis,
tum in nonnullis impressis exemplaribus,
recenseri solet, quanquam à ipsius Sty-
lo, et historiâ plurimum discrepare vide-
atur.

Hos duos posteriores Machabæorum 380.
libros Ecclesia Catholica velut apocryphos
rejicit, quanquam olim quidam Patres
Græci Tertium velut Scripturam Sacram
habuerint. Theodoretus*, Pseudo-Atha- * In Daniel. c. ii. v. 7.
nasius*, necnon Nicephorus in calce suæ * In Synopsi
Chronologiæ illum unacum prioribus
duobus inter eos Scripturæ libros, quibus
nonnulli refragantur, enumerant.

Duos verò priores, ut jam diximus,
inter Canonicos Sacræ Scripturæ libros re-
censet Ecclesia Catholica. Obnituntur
Acatholici, eósque unacum duobus pos-
terioribus velut Apocryphos rejiciunt:
contra quos proindè ponitur

Conclusio. 381.

Duo priores Machabæorum libri
meritò ab Ecclesiâ Catholicâ inter Canoni-
cos, et divinos recensentur.

Prob. Conclusio 1.º ex S. Scripturâ.
1.º Quia in his libris completa ~~videntur~~
exhibentur ea, quæ longè prius à Prophe-
tis prædicta fuerunt: ut, quod Daniel
c. 9. de abominatione in Templo futurâ pra-
vidit, hi libri indicant in Antiochô fuisse

4 * 140

completum, qui abominandum idolum desolationis, nempe propriam Statuam suam posuit super altare Dei in Templo, et libros legis combussit, aliaque indigna perpetravit quæ in præsenti historiâ commemorantur.

* Hieronym. in c. 9. Daniel.

Item, quod Deus per Zachariam prædixit visitaturum se super hircos, et ex Israele egressuros, qui exigerent, ac debellarent hircos illos in gloriâ magnâ. Hieronymus Hebræorum non improbans sententiam in Machabæis completum exponit, qui contra Hircos, hoc est, contra Antiochum, Demetrium, Gorgiam, et Nicanorem, qui per hircos à Zachariâ in regno Græcorum designantur, fortiter prævaluerunt. Ergò congruum est, ut hi libri, quippè qui Prophetiarum complementa continent, eandem ac volumina illa, in quibus ea Prophetiæ exaratæ sunt, sortiantur auctoritatem, scilicet divinam. Ejusdem enim rationis sunt Prophetia, et illius complementum, et qui prioris est Auctor, etiam posterius Sacro Scriptori ditatæ censendus est.

* Zachar. 10. v. 3. 4. et 5.

* In c. 24. Matth.

2°. Joannis c. 10. v. 22. Testimonium indicitur de festo Encæniorum, idest, renovationis Templi. Atqui idem desumptum est ex 1mo et 2do Machabæorum libris, utpote in quibus de hujus festi institutione primum agitur. Ergo et jam tunc libri isti ab ipso Joanne Evangelistâ velut sacri habiti fuerunt, imò jam prius ab Hebræis, ut qui festum Encæniorum in iis libris institutum singulis semper annis celebrârint.

* 1. Machab. c. 4. v. 56. et 59. 2. Machab. c. 1. v. 18. et c. 10. v. 3. 5. et 8.

3°. Paulus ad Hebræos scribens in hæc verba: Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem. Septem fratres Machabæos illos, quorum martyrium

* Heb. 11. v. 35.

narratur lib. 2. Machab. c. 7. clàre videtur in- 317.
telleriße, quemadmodùm gravißimi Auto-
res cum Theodoretô Cyrensi Episcopô tuen-
tur: hæc enim verba nemini magis conve-
niunt, quàm septem illis fratribus absque
ullâ poenarum remißione per omnia tor-
mentorum genera distractis. Ergo et Paulus
Apostolus libros hos divinos reputavit; ut
qui ex iis vera fidei tuendæ exempla pro-
ferat.

Pb. 2do. Confirmatio ex Traditione et 382.
praxi Ecclesiæ, quæ, quamvis multi fue-
rint in Veteri Testamentô justi, singulari
tamen privilegiô quôdam, ut ait S. Bernar-
dus*, his solis ex omnibus antiquis justis
annuam solemnitatem decrevit. Atque
etiam ex antiquißimâ consuetudine in
sacris mysteriis, quæ pro mortuis aguntur,
historiam Judæ Machabæi donaria pro
peccatis mortuorum offerentis ex 2do Ma-
chabæorum librô desumptam* refert. Ergô
ex antiquâ Ecclesiæ traditione et praxi
hi libri pro Canonicis habentur.

* Epist. 313.

* 2. Machab. c. 12.

Prob. 3tio Ex Conciliis. Carthaginen- 383.
si III. Can. 47. Romanô 70. Episcoporum
sub Gelasiô I. Florentinô sub Eugenio
IV. ac denique Tridentinô, quæ hos duos
priores libros et Canonicos, et divinos esse
declarant, et statuunt.

Pb. 4to Ex SS. Patribus Ex Inno- 384.
centiô I. Papâ Ep. ad Exuperium, ubi eos sa-
cris, et Canonicis libris adnumerat. Ex Orige-
ne, in c. 5. Ep. ad Rom. Ex Eusebiô Cæsarien-
si, lib. 12. Præpar. Evang. qui ambo horum
librorum auctoritate utuntur ad confutan-
dos hæreticos. Ex S. Cypriano, lib. de ex-
hort. Martyrii c. 11. et lib. 1. Ep. 3. ad Cornelium.

318. ~~322. 306.~~ Ex S. Gregorio Nazianzeno, in Oratione de Machabæis. Ex S. Ambrosio, lib. 1. Offic. et lib. 2. de Jacob. c. 10. 11. et 12. Ex S. Augustino, lib. 18. De civit. c. 36. et lib. 2. cont. Epist. Gaudentii c. 23. Ex S. Hieronymo sup. citato. Ex S. Isidoro lib. 6. etymolog. Qui omnes libros hos et divinos, et Canonicos declarant, ac tuentur.

385. Pb. 9to ratione Theologica. 1o. Quia hi libri sunt vehementer utiles, imò necessarii ad confutandas nostrorum præcipuè temporum hæreses. 2o. Quia ad pietatem, et ad omnes virtutes plurimùm conferunt, nósque provocant ad fortitudinem, patientiam, ac spem in afflictionibus, et ad mortem, si opus fuerit, pro pietate sustinendam. 3o. Certitudinem, et confirmationem faciunt multarum rerum, quæ in aliis Sacræ Scripturæ libris leguntur. Permulta enim, prout supà argumentò primò indicavimus, antèà à Prophetis fuerunt prædicta, quæ in his libris verissimè completa narantur. Meritò ergò Sacris Scripturæ libris ab Ecclesiâ adnumerantur.

S. 141

386. Solvuntur Objectiones.

Ob. 1o. contra 1mum Machabæorum librum. Hujus lib. c. 1. v. 1. dicitur Alexander Magnus primus regnasse in Græciâ, cùm tamen ante idum multi fuerint in eâ Regione Reges; ut Lacedemoniorum, Macedonum, Corinthiorum, Atheniensium, &c. Ergò.

4b * apud Euseb. in Chron.

Resp. quòd, cùm ibidem dicitur Alexander in Græciâ primus regnasse, non de regnò quocunque, sed de Monarchiâ Græcorum in Asiâ sit sermo, quam primus obtinuit Alexander.

165

Ob. 2.di Ibid. v. 7. Dicitur Alexander regnum suum, dum adhuc viveret, divisse inter familiares suos, at Cornelius Nepos hanc divisionem primùm post ejus mortem factam fuisse testatur. Ergò ∞. 319. ~~[illegible]~~. 387.

Resp. Alexandrum Regnum suum non divisse in Principatus absolutos, sed Satrapias tantùm: vel sub conditione duntaxat, si nempè liberos non esset relicturus. Brevia ergo tantùm fuit hæc Alexandri divisio, non absoluta; quæ demum post ipsius mortem, atque sine liberis obitum, effectum suum est sortita.

Ob. 3.tio Ibid. v. 9. Iti Alexandri familiares dicuntur sibi post mortem ipsius omnes imposuisse diademata. At id longè post ipsius obitum factum fuisse idem Cornelius Nepos testatur. Ergò ∞. 388.

Resp. Quòd ibi non dicatur, quasi statim post mortem Alexandri memorati Principes sibi diademata imposuerint, sed similiter, post ipsius mortem, quod longò post ab eâ tempore fieri potuit.

Ob. 4.to Ibid. v. 11. Antiochus Illustris regnasse dicitur annò Græcorum Regni 137mò cùm tamen constet ex Eusebiò*, Antiochum primùm an. 156. regnasse: tot enim effluxêre anni à primò Monarchiæ Græcorum annò, usque ad Antiochum. 389 * loc. cit.

Resp. Ibi non numerari annos ab Alexandrò, qui primus in totâ Asiâ, adeoque et Syriâ, quæ pars Asiæ est, regnavit, sed à Seleucò, qui primus duntaxat post Alexandrum in Syriâ regnavit, prout monet Eusebius*. Cùm enim Judæa esset pars Syriæ, Judæi à primò Syriæ Rege annos numerabant. à Seleucò autem, qui primus 8d * In Chron.

320.
~~324.~~ 389. post Alexandrum soli Syriæ imperavit, usque ad Antiochum numerantur anni 137. quibus si addas annos novemdecim, qui sunt ab Alexandro ad Seleucum, habebuntur anni 156. Unde nec Autor libri 1. Machab. nec Eusebius falsum proferunt, sed tantum varium supputationis annorum sumunt initium; hic ab Alexandro Magno, ille verò Judæorum more à Seleuco.

390. Ob. 5to Jb. c. 8. v. 7. dicitur Antiochus à Romanis captus, quod tamen est contra omnium historicorum fidem. Ergo p.

Resp. Hoc non absolutè de captivitate propriè dictâ intelligendum esse, sed tantùm, quòd Romanorum jugum susipere coactus fuerit, quod verum est.

391 Ob. 6to Jb. v. 8. dicitur, quòd Romani Indiam et Mediam Eumeni tradiderint; at certum est, has provincias nec sub potestate Romanorum, nec ab Eumene gubernatas fuisse. Ergo p.

Resp. Hic esse errorem librariorum, ac pro Indiâ Myndiam, et pro Mediâ Mysiam substitui debere. sicque tollitur difficultas.

392. Ob. 7mo Eodem c. 8. v. 15. memorantur 320. viri, quos quotidie Romani consulebant p. cùm tamen Romæ nunquam ultra 300. Senatores fuerint.

Resp. 1o. ab aliis numerum rotundum fuisse observatum, adeoque in Vulgatâ nostrâ locô 320. legendum esse 300.

Resp. 2do. Cùm 320. viri illi, quos quotidie consuluisse Romani ab Autore lib. 1. Machab. memorantur, non dicantur ab eo fuisse Senatores, alii præter Senatores è Magistratu etiam ad Consilium vocati fuisse dici possunt.

6.142

Ob. 8vo Ibid. v. 16. Romani dicuntur singulis annis committere uni viro Magistratum suum, et omnes uni obedire; cùm tamen certum sit, tùm temporis ab iis duos fuisse creatos Consules. Ergò p. 321. ~~[illegible]~~. ~~[illegible]~~. 393.

Resp. Etsi tunc temporis duo crearentur Consules, non simul tamen, sed alternis diebus hi imperabant. Hujus rei testimonium fuit infelix pugna Cannensis exitus, cujus causa fuit alterius Consulis, penes quem eo die imperium erat, temeritas. Itaque licèt duo Consules essent, unus tamen tantùm imperabat, ne videlicet, inquit Titus Livius*, si duo simul imperarent Consules, regibus exactis, non remotus, sed duplicatus terror videretur. * lib. 2.

Ob. 9no Ibid. c. 10. v. 1. Alexander dicitur Antiochi filius, quod apertè falsum est. Ergo p. 394.

Resp. Alexander ille, de quo hic fit mentio, cognomento Balas, homo fuit ignotus, et incertæ stirpis teste Liviò*, Antiochi se esse filium falsò dititans, ut ait Sulpitius Severus. Quia ergo se ipsum Antiochi filium dicebat, hæque esset vulgi opinio, meritò illum etiam ita nuncupat Auctor lib. 1. Machab. * Epitom.

Ob. 10mo Ib. c. 12. v. 7. Darius dicitur Lacedemoniorum, seu Spartiatarum Rex; quod falsum est. Ergò p. 395.

Resp. Hic librariorum errorem irrepsisse, et pro Dario ponendum esse Arium, prout legitur c. 1. et 20. ac non alibi p. Verùm post Romanam correctionem hoc loco Darius expunctus est, et ejus locò positus Arius.

Ob. 11mo Contra 2dum Machabæorum librum. Hujus lib. c. 1. v. 16. Dicitur An- 396.

Antiochus Illustris, seu Epiphanes, in Templo Nanea cum multis ex suis membratim casus fuisse. At contra prius, nempe lib. 1. c. 6. v. 16. dicitur mortuus Babylone in lecto suo pra animi dolore. Imo eodem lib. 2. c. 9. v. 5. 7. et 28. dicitur idem Antiochus à Deo percussus insanabili, et invisibili plagâ, ac tum dire viscerum dolore, tum quia de curru initinere cadens gravi corporis collisione membra ipsius vexata fuerunt, miserabili obitu defunctus esse. Ergo &c.

Resp. Ubique esse eundem Antiochum Epiphanem, seu Illustrem: potuit enim corripi viscerum dolore, et insuper cadere ex curru, atque sic aegre deferri Babylonem, atque ibi, addito animi moerore ex allato rei malè à suis in Judaea gesta nuntio contabuisse. Et quamvis c. 1. hujus libri 2. dicatur cecidisse in Templo Nanea, atque fuisse percussus, necnon multi ex suis membratim casi fuerint, non tamen sequitur, quod ibi membratim casus interierit, neque id de eo asserit sacer textus, sed de suis ipsius tantum; casus quidem, ac membratim casi ipsius socii, ipsique cecidisse dici potest, quod una cum iis, quorum nuntii occisi sunt, fusus, fugatusque fuerit; quemadmodum Scriptura Genes. 14. narrat Regem Sodomorum in praelio cecidisse, quem tamen paulo post viventem, et Abrahae occurrentem introduxit. Itaque Antiochus in eo sensu cecidisse dicitur, quoniam ipsius milites casi, et percussi fuerunt, ipsique tuopi fugâ elapsus, fortè etiam vulneratus, in ipso iti-

nere è curru cecidit, et paulo post mortuus est. 323. ~~311. 329.~~ Profectò quod dicitur hoc libro 2. c. 9. v. 1. et 2. de eodem Antiochô, quòd nempe in Perside Templum spoliare voluerit, ac turpiter fugatus sit, omninò convenit cum iis, quæ ejusdem libri c. 1. v. 16. de illo narrantur, quòd videlicet in Templô Nanæa ceciderit, et peremptus fuerit, ac quòd multi ex ipsius militibus membratim cæsi fuerint. 7tma 243

Ob. 12mò Jb. c. 1. v. 10. Judas scripsisse epistolam dicitur an. 188. cùm tamen prius nempe lib. 1. c. 9. v. 3. et 8. dictus fuerit obiisse in prælio contrà Bachidem an. 152. Ergò p. 397.

Resp. Verba hæc: Annô centesimô octogesimô octavô, quæ habentur lib. 2. c. 1. v. 10. non esse principium Epistolæ sequentis à Judâ et Soci scriptæ, quæ ab auctore libri 1mi prætermissa duntaxat, huic inseritur, sed finem præcedentis, quæ scripta fuit à totô Judæorum populô duce Joanne Hircanô. Id apertè indicant Græci codices, qui post adducta verba Anno p. d. distinctionem constituunt. Et profectiò id exigere videtur ipsa ratio, ut quia verba hæc posita sunt inter initium unius Epistolæ, et finem alterius, numerúsque annorum potiùs in fine, quàm in principiô Epistolæ alicujus poni soleat, ea verba ad præcedentem potiùs quàm subsequentem Epistolam referantur.

Alii dicunt, Judam, qui initiô Epistolæ ad Aristobulum et Judæos in Ægyptô commorantes scripta, necnon c. 1. lib. 2. Machab. recensita memoratur, non esse Judam Machabæum jam antequam hæc epistola scriberetur, spatiô 36. annorum

324.

vitâ functum; Sed Judam illum Essenum quem Antigoni eadem prædixisse, neque in Vaticiniis suis sibi unquam solitum ~~quo~~ fuisse refert Josephus. Hâc ratione difficultas momentò solvitur.

398. Ob. 13tiò Ibid. v. 19. dicuntur Israëlita in Persidem captivi fuisse abducti; at certum est, non in Persidem sed Babylonem abductos eos fuisse abductos. Ergo p.

Resp. Hujus libri Autor Persidem vocat non solùm eam regionem, quæ propriè Persis dicitur, sed etiam alias finitimas, prout patet ex lib. 1. Machab. c. 6. v. 5. ubi mutius, qui venit Babylonem ad Antiochum, dicitur venisse ad eum in Persidem. Unde etiam S. Chrysostomus Judæos ex captivitate Persicâ liberatos fuisse dicit.* Persis enim tunc celeberrima erat, Chaldæa verò satis obscura.

*Hom. 6. in Matth.

399. Ob. 14to Eodem lib. c. 2. v. 5. et 7. dicitur, quòd Jeremias, dum spoliaretur et incenderetur à Chaldæis Urbs Jerusalem et Templum ejus, abscondit Tabernaculum, et Arcam foederis in speluncâ quadam montis Nebo, et dixerit Locum illum fore occultum, donec Deus iterum congreget populum suum. At 1o. Jeremias, antequam Urbs ista à Chaldæis caperetur, semper fuit in carcere, atque in Jerusalem penè omnibus erat invisus.* Captâ autem urbe Chaldæi omnia diripuêre†, nec quidquam remansisse videtur, quod Jeremias abscondere. 2o. falsum est, quòd iterum revertentes à captivitate essent Arcam, et Tabernaculum habituri; neque enim postèa unquam habuerunt. Ergò p.

*Jerem. c. 37. v. 38.

†4. Reg. c. ult.

Resp. ad 1mum quòd Nabuchodonosor ter in Judæam venerit, 1o tem-

pore quidem Eliacim aliàs, Joachim*, 2°. sub Joachim rege*, et 3tiò tempore Sedeciæ*. Jeremias sub Sedeciâ quidem semper fuit in carcere, at sub Joachim liberatus, ac in magnâ auctoritate; adeoque tum potuit et Tabernaculum, et Arcam asportare; potuit et id captâ jam civitate, utpotè qui apud Nabuchodonosorem multùm valebat*. et certè cùm Jeremias ipse omnia enumerat, quæ ex Templô Domini Chaldæi abstulerunt, omninò de Arcâ et tabernaculô silet*.

Ad 2dum concedimus, Judæos non amplùs recepisse Arcam; neque enim 2. c. 2. v. 7. et 8. loquutus fuisse dicitur Jeremias de idâ reversione, seu congregatione populi, quæ contigit tempore Cyri; sed vel de tempore novissimô, quod proximè extremi judicii diem præcedet, ut vult Epiphanius*; vel mysticè id intelligendum est, Arcam videlicet apparituram, nempe Christum in carne venturum in novâ populi congregatione, ut exponit Rupertus*. Hæc omninò ita intelligi debere vel ipse textus innuit, sic enim habet*. Et auferent quidam sicut, qui sequebantur, ut notarent sibi locum: et non potuerunt invenire. Ut autem cognovit Jeremias, culpans illos dixit, quòd ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, et propitius fiat: et tunc Dominus ostendet hæc, et apparebit Majestas Domini*. Ob. 1°. Jb. c. 10. v. 3. dicitur Judas purgasse Templum biennô post mortem

325
2°. sub
* 2. Paralip. c. ult.
* 4. Reg. c. 24.
* ib. c. 25.
* Jerem. c. 39.
* Ibid. c. 52.
* In vitâ Jerem.
* lib. De vit. verb. c. 21.
* lib. 2. Machab. c. 2. v. 7. et 8.
400.

326.

~~330. 334.~~ Antiochi. At lib. 1. c. 4. v. 43. legitur, quòd Judas illud purgaverit an. 148. idest, uno annô anto obitum Antiochi, qui obiit an. 149.* Ergò ſ.

* lib. 1. Machab. c. 16.

Resp. cit. lib. 2. c. 10. narrari quidem, post mortem Antiochi repurgationem Templi factam esse, at non asseritur, eam factam esse post illius obitum; voluit enim Autor absolvere ea, quæ de Antiochô dicturus erat, et tum redire ad Judam, et Templi purgationem. Cùm autem hoc post biennium facta dicitur, non significatur post biennium à morte Antiochi, sed post biennium à profanatione hujus Templi. Nam profanatum fuit Templum an. 145. ut dicitur lib. 1. c. 4. Unde rectè Eusebius in Chronicô post Josephum*, Templum repurgatum fuisse tertiô à profanatione annô, idest, post biennium exactum, ait.

* lib. 12. Antiq. c. 10.

Quidam volunt, hanc Templi repurgationem non post biennium ab ipsius profanatione factam fuisse, sed biennio postquam Judas patri hô Mathatiæ in Principatu ~~successit~~ successerat. Nam Templum jam ante justum triennium profanatum fuisse, atque in eô à gentibus sacrificari coeptum tuentur, cùm jam sex mensibus ante hoc triennium etiam sancta violassent, quæ à Judæis mundata dicuntur lib. 1. c. 4. v. 43.

401. Ob. 16to. Jb. c. 12. v. 43. dicitur Judas pro mortuis sacrificium offerri jussisse. atqui præposterus est Zelusiste et superstitiosus. Ergò ſ.

Resp. neg. min. Nam orare pro mortuis, quos in cœlô esse certum non est, pium et religiosum esse tuemur, idque hô loco demonstrabimus. Interim adver-

Sarüs hîc sufficiat auctoritas S. Augustini, qui ex addutô 2. Machab. c. 12. testu probat pium esse orare pro mortuis*. 324 ~~325~~ 327. u

Inst. Sed illi, pro quibus Judas orare jussit, decesserant lethali crimine obligatî. Atqui pro talibus orare non licet. Ergò &c.

Resp. Judas piè existimavit, eos in articulô mortis dolorem de peccatô suô coram Deô concepisse, et misericordiam apud Deum invenisse, quod hæc verba ibidem subjuncta significare videntur*: Quia considerabat S. Judas: / quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. x

Ob. 17mo Hujus libri Auctor c. ult. v. 39. veniam petit erratorum. Atqui id nullus Sacer Scriptor dicere potest; nisi qui dicere malit, Spiritum Sanctum errori esse obnoxium; eo enim inspirante, et dictante Scripserunt Sacri Auctores. Ergò &c.

Resp. neg. min. Ratio habetur ex dictis supra part. 1. c. 4. à pag. 51. ubi demonstravimus, quondam Sacros Scriptores, etsi quoad res ipsas, illarúmque sensum à Deô fuerint inspirati, tamen quantùm ad verborum compositionem, et Stylum sibi ipsis interdum fuisse relictos, prout sibi ipsi hoc sensu et ratione relictus fuit Autor libri hujus; ergo quantùm spectat ad verborum compositionem, et orationis suæ Stylum veniam rogat, si quidnimis concinnè loquutus fuit; non verò quantùm ad sententias, seu res, ipsarúmque sensum quæ omnia ex Spiritus S. speciali assistentiâ, et inspiratione exaravit.

Ob. 18vo Hi duo priores Machabæorum libri in Canone Hebræorum desideran-

*Epist. ad Dulcitium. Item lib. 1. de moribus Eccles. Et lib. de curâ pro mortuis c. 1. 402.

* 2. Machab. c. 12. v. 45.

403.

Prima J. 145

404.

tur. Ergò nec nos in Canonem Scripturarum Sacrarum illos referre possumus, aut debemus.

Resp. neg. cons. Huic objectioni jam alibi passim, ubi nobis sermo fuit de Sacra Scriptura libris illis, quos Adversarii è Canone excludendos esse arbitrantur, satisfecimus. Cùm hi duo libri tum primùm Scripti fuerint, ubi Hebræorum Canon jam diu antè clausus fuerat, mirum non est, quòd in eum relati non fuerint; quo etiam factum, ut Veteres quidam, qui Sacrorum librorum Canonem ad normam Canonis Hebræorum duxerunt, illos etiam omiserint; quin tamen inde sequatur, quasi illos tanquam sacros non habuerint, præsertim cùm apud cæteros Veteres Patres veluti sacri, et divini haberentur. Et profectò Judæi ipsi, quanquam ex allatâ ratione Canoni ipsorum adscripti non essent, illos tanquam sacros legerunt, p.

Caput Tertium
De libris Sapientialibus Veteris Testamenti.

Libri Sapientiales, seu Morales Veteris Testamenti, prout suprà part. 1. c. 1. dictum, quinque numerantur: scilicet Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, et Ecclesiasticus. De quibus singulis breviter agendum.

De Libro Proverbiorum.

Proverbiorum nomen apud Hebræos parabola, similitudines, sententiæ morales, axiomata, comparationes, ænigmata poëticô stylô, brevi, figuratô, et gravi proposita censentur.

Liber, qui in Sacra Scripturâ co no-

229.

mine venit, cujusunque conditionis homini- ~~[illegible]~~, ~~[illegible]~~.
bus instituendis regulas aptissimas præscribit, Regibus videlicet, Ducibus, rebus gerendis implicitis viris, Uxoribus, Servis, parentibus, et filiis. Dignus proinde, qui ab omnibus diligenter, et frequenter evolvatur. Triginta et unum sunt idius capita.

An solum Salomonem habuerit Auto- 407.
rem aliqui dubitarunt, ut Grotius, sed contrâ omnium Patrum sententiam. Fatendum tamen, varium Stylum, variamque methodum in hoc Opere reperiri: Novem enim priora idius capita, quorum fronti inscriptus legitur hic titulus, Parabolæ Salomonis, continenti Stylô descripta, totius libri præfationem constituunt. Caput 10mum novô titulô instituitur, sed etiam sub Salomonis nomine, cujus et subsequentium capitum usque ad 24. v. 22. etiam alius est Stylus brevioribus sententiis vix mutuò cohærentibus, et per antitheses ferè dispositis intercisus. Novus inde titulus: Hæ quoque Sapientibus, idest, En alias Sapientum sententias, novusque Stylus concisus, et gravis. Iterum initiô capitis 25. hæc habentur: Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Juda. Rursus initiô cap. 30. Verba Agur filii Jake, prout habet textus Hebraicus, quod Latinus Interpres vertit: Verba congregantis filii vomentis. Tandem cap. 31. omnium postremus inscribitur titulus: Verba Lammelis Regis; quod ita ex hebraicô latinè reddi potest: Verba ejus, qui Deicit, vel qui à Deô possidetur. Videtur idem

330.

esse Salomon, idque nomen illi à matre inditum, ut idum Deo à se dicatum significaret.

Ex his omnibus non obscurè tenemus, huic Operi, quale nunc extat, adornando variis collectis Salomonis parabolis plures Scriptores Operam contulisse. Ex quo tamen nullâ ratione inferri potest, Salomonis Opus non esse. Cùm enim Princeps iste divinò Spiritu sapiens 3000. parabolarum dictasse dicatur*, fieri utique potuit, ut ex illis quædam excerpta fuerint à nonnullis, putà ab Ezechiâ*, ab Agur, nisi nomen istud symbolicè ipsum Salomonem denotet:) ab Isaia, ab Esdra, p. atque ita excerpta librum tandem conficerent. Nusquam sanè Liber iste, prout nunc extat, à Salomone scriptus fuisse proditur, titulúsque Parabolæ Salomonis Auctorem potiùs, seu prolatorem, quàm Collectorem indicat.

Vulgò docent Rabbini*, Regem Ezechiam, ut populum Salomonis Operibus, iis maximè, quæ de plantis, et secretis natura scripsit, ~~[illegible]~~ abutentem averteret, pluribus illius suppressis scriptionibus, eas tantùm reliquisse, atque litteris commendasse, aut commendari curasse, quæ adhuc supersunt.

408. Hic Proverbiorum liber velut Canonicus ab omnibus semper habitus est, si ex Veteribus Theodorum Mopsuestenum excipias*. Ex recentioribus verò Auctorem Epistolæ insertæ collationi de plantis quorumdam Hollandiæ Theologorum, qui Salomonem humanò fretum ingeniò Opus istud dictasse

2da 146

j * 3. Reg. c. 4. v. 32.

2 * Prov. 25.

a * apud Calmet Dict. Bib. Verb. Proverbia

6 * Conc. Constantinop. IV. Collat. 4. act. 63.

autumat. At horum duorum duntaxat 331.
autoritas tanta apud nos esse non debet, ut ejus gratiâ omnium aliorum Auctorum et Ecclesiarum sententiam deserere possimus, vel audeamus.

Unicum hic objicitur. C. 26. v. 4. 409.
Dicitur: Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Et v. 5. immediatè sequenti contrà dicitur: Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. Atqui hæc sunt apertè contradictoria. Ergo &c.

Resp. Docent quidem hi duo textus stulto respondendum esse, et non respondendum, sed non in eodem sensu, iisdémque circumstantiis; prior enim sic intelligendus est, ut doceat, non imprudenter respondendum esse stulto, verbis silicet reiprovis, hoc est, spurca, et probrosa abido prolata verba in ipsum regerendo; quia id frustrà fieret, idque esset eum imitari eique similem fieri. Posterior verò docet, stulto interdum tamen esse respondendum, maximè quando ejus stultitia vergit in Dei offensam, non quidem verbis, sed locò verborum reponendo verbera, puniendo silicet, et corrigendo eum, non zelò vindictæ, sed justitiæ, vel charitatis; ne si fortè impunitus abeat, deterior, et petulantior evadat.

De libro Ecclesiastis. 410.

Liber hi in Hebræò inscribitur Coheleth, fœmini generis nomen, significans idam, quæ publicè verba fait,

332.
~~330. 331.~~ seu quæ coetum indicit. At Græcis, et Latinis neglectò fœmininò genere Eulesiastes, idest, Concionator dictus est.

4.11. Duodecim capitibus liber absolvitur, quibus ea argumenta, quæ postmodum Sadducei, et Epicurei protulerunt per antecessum sedulò proponuntur, et dissolvuntur. Rerum hujus mundi vanitas, humanorum negotiorum futilitas, atque scientiarum inanitudo detegitur. Objectionum adversùs animæ immortalitatem vis exponitur, ac diluitur. Demum disputationem suam hisce claudit Auctor: finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, et mandata ejus observa. Hæc quippe est munerum hominis summa, et unica ad felicitatem via.

4.12. Salomoni etiam opus istud tribuitur; nec immeritò, se ipsum quippe statim libri initiò prodere videtur his verbis*: Verba Coheleth, seu Eulesiastæ filii David Regis Israël. Deinde ibid. v.12. ait se fuisse Regem in Israël, et v.16. se omnium prædecessorum suorum, qui Jerosolymæ regnarunt, sapientissimum ac felicissimum fuisse. c.2.v.4.9. opera sua, divitias, et delicias suas commemorat. tum c.12.v.9. Parabolas quas composuit. Hæc omnia nonnisi Salomoni ipsi convenire possunt.

Nonnulli tamen viri eruditi opus istud Salomoni abjudicant. Grotius* diu post Salomonem conuinatum putat à Zorobabela, cùm in gratiam filii sui Abiud, tùm ut æternum

C * c.1.v.1.

Zlia 147

* Præfat. in Eccles. et c.12.v.11. et 12.

poenitentiæ Salomonis monumentum exta- 333.
ret.

Auctor plausorum quorundam Hol- 413.
landiæ Theologorum autumat, librum
istum esse Dialogum inter virum Religio-
sum, et impium Sadducæum*: In eo siqui-
dem plura invicem repugnantia, quæ
uni eidemque personæ convenire non
possint, sibi visus est animadvertisse.

Verùm nec de Zorobabele ulla
est probabilis conjectura, nec Dialogi
alicujus vestigium quòddam in hoc libro
deprehendimus; repugnantes quippe inter
se se propositiones, et sententiæ ejusdem
sunt Salomonis, qui de rebus in utram-
que partem disputat, atque Sadducæorum
argumenta dissolvit.

Verùm objici potest, quòd c. 2. 414.
v. 8. de se ipso dicat Auctor: Ego os
Regis observo. quod de se Salomon pro-
ferre non potuit, quippe qui ipsemet
Rex fuit, nec ullum Regem observan-
dum habuit. Ergo non videtur liber
iste esse Salomonis Opus.

Respondet S. Hieronymus, hic
non alium Regem, quàm Deum ipsum
significari.

Sed dicimus nos, sententiam
hanc in Vulgatâ nostrâ esse mendosam,
legendumque esse, Os Regis observa, in
imperativo, prout legunt Septuagin-
ta Interpretes, Targum, Textus Syrus,
et Arabs.

Dum hæc scriberet Salomon, ipsius- 415.
se jam, atque pristinos errores hos, rerumque
terrenarum Dominum, labente jam ætate,
in eo libro deflevisse, S. Hieronymus, plu-

* Sadducæi à Sadoc Magistro suo, qui in sextâ mundi ætate circa an. m. 3740. ant. Chr. 260. ante Dr. 264. vixit, sic dicti, cum apud Hebræos sectam constituerunt, ut negarent animæ immortalitatem et nihil proinde præmii, aut pœnæ in alterâ vitâ esse expectandum, ut quæ nulla sit, p.

rimique Commentatores cum Judaeis asserunt; ejusdémque resipiscentiae non obscura indicia in ipso opere exhiberi: fatetur enim, se nihil eorum, quae sensibus adhaerent, inexpertum reliquisse, nihil tamen unquam invenisse, in quo non suus magis, quàm veritas inesset. Ea tamen rationes tanti roboris non sunt, ut Salomonis salutem extra omnem controversiam ponant; quâ de re adhuc in utramque partem disceptatur.

416. Qui Scripturarum Canonem post Captivitatem Babylonicam confecerunt, testantibus Rabbinis, et Sancto Hieronymô, diu multúmque de Ecclesiaste haesitarûnt, num in idum esset referendus. Ne enim plena periculi videbatur, si legendus liber traderetur, in quo plures periculosae sententiae, phasésque de animae immortalitate scrupulum injicientes occurrunt. Cùm igitur câ de re deliberarent, tandem animadversis iis, quae de timore Dei, atque Legis custodiâ Autor in eo disserit*, ad idum probandum inclinarûnt: ad quam sententiam Judaei omnes et Christiani accessêre, uno tamen exceptô Theodorô Mopsuestenô*, qui Salomonem multô Dei Spiritu afflatum hoc scripsisse aulus est asserere.

f * c. 12.

g * Conc. Const. V. act. 4.

417. Fuêre etiam Haeretici apud Philastrium*, qui idem Opus velut Epicureis* favens rejiciebant, qui ob id ab Ecclesiâ damnati fuerunt.

h * In Catalog. Haer. c. 132.

i * Epicurei ab Epicuro Philosophô sic diti, summam beatitudinem in corporis volup-

OB. Ecclesiastis c. 3. v. 19. dicitur: Unus interitus est hominis et jumentorum, et aequa utrinsque conditio: sicut mori-

335.
~~333.~~ ~~330.~~

tur homo, sicut illa moriuntur: similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius .... Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum? Et tamen ibid. c. 12. v. 7. dicitur: Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

tatibus odorasse dicentur.

Ha 248

Resp. Scripturam in priori textu loqui in personâ, et sententiâ hominum impiorum, qui putant, non aliam post mortem superesse vitam, morique homines sicut bruta etiam quoad animam. In posteriori verò loqui in personâ, atque sententiâ hominum verè fidelium, piéque ac verè de animæ immortalitate et de alterâ post mortem futurâ vitâ sentientium, sicque perfectè conciliantur hi duo textus. Et eâdem ratione respondetur ad hujusmodi contrarios textus frequenter in libro hoc occurrentes. nam plerumque in eo primùm impiorum hominum argumenta proponuntur, quæ posteà gravi et concisâ oratione solvuntur.

De libro Canticorum. 418.

Ex 5000. Canticis, quæ Salomon dictasse dicitur*, solùm superest liber Cantici Canticorum, sic per excellentiam nuncupatus, Hebræis Schir Hschirim dictus, id est, Excellentissimum Canticum.

k * 3. Reg. c. 4. v. 32.

Compositum à Salomone creditur, in suis cum filiâ Regis Ægypti nuptiis. Est enim, ait Origenes*, Epithalamium, seu nuptiale carmen in

l * Comment. in Cant. Cant.

~~340. 341.~~ modum dramatis conscriptum. Octo sunt illius capita, in quibus septem dierum, et totidem noctium fit mentio, quod ex more Hebræorum nuptias per septem dies celebrandi desumptum est*.

m * genes. 29. v. 22. Judic. 14. v. 12. 15. et 17. Tob. 8. v. 23.

Ea, quæ his septem nuptiarum diebus contigerunt, stylô adeò florenti et ab historicô ita discrepante conscriptâ sunt, ut Hebræi, veriti, ne nimis ad litteram intelligerentur, libri hujus lectionem ante annum ætatis trigesimum prohibuerint*; quod et Christiani servarûnt, inter quos plerique laud contemnendi nominis Expositores existimarûnt, explanationem illius in juventute et iamnum non esse attingendam, sed in solatium Christianæ senectutis, ac sanctæ migrationis viaticum reservandam exemplô sanctorum virorum Bernardi Clarevallensis, Gilberti Hollandi, Thomæ Aquinatis, et Gersonii, quibus in meditatione, et expositione hujus operis mortalitatem feliciter exuere contigit.

n * Origen. et Theodort. in Cant. Hieronym. Præfat. in Ezechiel.

o * R. P. Germanus Cartier hujus Professus an. ætatis suæ 52. opus istud per modum meditationum satis feliciter exposuit. extant adhuc Mss.

Certè hominibus carnalia tantùm sapientibus liber iste nonnumquam esse potest, ut quibus de contemnendis sacræ Scripturæ libris, ne quid amplius dicamus, cogitationem injicere possit.

420. Non ergo ad litteram, seu carnem, et sanguinem, sed secundùm Spiritum hujus libri mysteria sunt rimanda. Id ipsa illius verba demonstrant, quæ se juxta litteram exponi non patiuntur; similitudines enim, quibus adamatam sponsam illam describunt, secundùm exteriorem vocis sonum intellecta, magis eam deformant ac deturpant,

quàm illustrent, et exornent. Quid enim 337.
ineptius dici aut fingi potest, quàm quæ
hic de Sponsâ referuntur? videlicet, quòd
habeat amplum caput instar montis Carmeli;
oculos similes piscinis magnis, quæ
sunt in Esebon; nasum magnitudine suâ
præ se ferentem turrim, quæ respicit con-
tra Damascum; dentes sunt greges ovi-
um; collum sunt arcem Sion, ex quâ mil-
le pendent clypei; mamus tanquam sphæ-
ras aureas; crura sunt columnas marmo-
reas supra bases aureas erectas; quòd sit
decora sicut Jerusalem; terribilis ut
castrorum acies ordinata; &c. Quæ om-
nia nimis rudia, agrestia, et incondita
sunt, quàm ut de filia Regis Ægypti,
vel Sulamite intelligi possint, aut debeant.

Oportet igitur, si Salomonem 421.
omnium hominum sapientissimum
ut par est, ineptiæ notâ liberare veli-
mus, verba Cantici hujus à carnali ad
spiritualem, ad mysticum sensum, et
intelligentiam revocare, ac in eo castas
mysticæ Sponsi Christi ac Sponsæ ejus
Ecclesiæ, vel animæ nuptias à Salomo-
ne, Deo inspirante, hoc volumine,
velut Epitalamio, adumbratas, et decan-
tatas intelligere. Epitalamium libel-
lus iste videtur, inquit Origenes*, à
Salomone conscriptus, quem cecinit
instar nubentis Sponsæ, et erga Spon-
sum suum, qui est Sermo Dei cæleste
amore flagrantis. adamavit enim
eum, sive anima, quæ ad ejus imagi-
nem facta est, sive Ecclesia. Sed et

(5. 14)

Primo sta

* In Cant. Cant.

magnificus hic ipse, atque perfectus Sponsus, quibus verbis usus sit ad conjunctam sibi animam, vel Ecclesiam, hæc ipsa Scriptura nos docet. Sodales quoque Sponsæ adolescentulæ cum ipsa Sponsâ positæ, quæ dixerint, quâque etiam amici ac Sodales Sponsi ex eodem libro, qui Canticum Canticorum adtitulatur cognoscimus. Hæc Origenes; ex quibus evidentissimum est, per unicam Salomonis amicam, Sponsam, et Columbam, significari Ecclesiam, quæ Christi Sponsa est; et per Reginas, et Concubinas, sanctas animas Christo per charitatem conjunctas, siant per Salomonem, hoc est, pacificum; sic enim nomen istud interpretatur; Christus verè pacificus designatur.

422. Ut ergo verum hujus libri sensum, et mysteria assequamur, non ad carnem, et sanguinem, ut jam diximus, sed ad Christi cum humanâ naturâ, cum Ecclesiâ, et cum animâ Justi nuptias spirituales omnia sunt referenda; hæ veluti clavi ea, quæ in hoc libro dicta videntur de nuptiis humanis, de supernaturali, et divino connubio dicta esse intelligemus.

423. Librum hunc cum Synagoga, tum Ecclesia inter Canonicos Sacræ Scripturæ codices semper habuêre. Ex antiquis solus Theodorus Mopsuestenus, et fortè quidam Anonymi apud Philastrium illum rejecerunt. Nonnulli en Rabbinis de ejus inspiratione divinâ dubitare visi sunt; Anabaptista verò tanquam perniciosum librum eum repudiant, quos sequi videtur Castalio, dum ait*, Canticum istud esse colo-

* In annot. ad hunc lib.

1751

quium Salomonis cum amicâ suâ quâdam Sulamite, ad cujus porrò Aulicas fœminas Salomon etiam interdùm sermonem dirigit, et ipsæ quoque vicissim ad illum, et illam. 339. ~~347.~~ ~~348.~~

Lutherus verò paulò mitiùs de eo loquitur, ait enim*, Libellum hunc esse familiare colloquium Salomonem inter et Rempublicam Judæorum invitantem Salomonem dilectum suum ad regnandum super eam.

* In annot. ad Cant. Cant.

Sed his omnibus prævalere debet Ecclesiæ, et Synagogæ autoritas pro spirituali et mysticò illius sensu, et inspiratione divinâ testimonium unanime ferentium.

Ob. quidem 1.° Liber hic nihil divinum præ se fert, sed est obscœna impudici amoris cantilena, seu garritus conjugum inter se, seu inter Salomonem, et filiam Regis Ægypti, quam uxorem duxerat. Ergò nullò pactò inter divinos, et canonicos libros recenseri potest, aut debet; quin potiùs ab illius libri lectione omnes arceantur, necesse est, ne inter legendum illum ad amorem profanum alliciantur. 424.

Resp. neg. ant. Primùm exposuimus, quonam sensu sententiæ et verba libri hujus etiammum ab ipso Salomone fuerint intellecta, non carnali videlicet, sed spirituali. Sensu enim nec Synagoga, omnésque Judæi, nec ipsa Ecclesia, omnésque sancti Patres, et sacræ Scripturæ Interpretes illum tanquam divinò afflatu conscriptum, et canoniam ~~hunc~~ suspexerunt. Canticum ergò istud non est colloquium Salomonis cum filiâ Pharaonis aut Sulamite aliquâ, sed Christi, quod vel cum Ecclesiâ, quam acquisivit sanguine suo, quámque sibi, mediâ Incarna-

G. 1520

340.
~~344.~~ tione suâ, desponsavit; vel cum animâ, quam per fidem sibi copulatam imbuit sanctitatis doctrinâ, et vitæ spiritualis perfectione, per Methaphoras, Similitudines, et parabolas instituit.

425 Ob. 2do Librum hunc nec Christus, nec Apostoli unquam laudarunt; nec etiam in eo vel semel tantum fit de Deô mentio. Ergo nec divinus est censendus.

Resp. neg. cons. Multi sunt alii S. Scripturæ libri, quos nec Christus, nec Apostoli laudarunt, qui nihilominus sacri sunt et divini. Quòd autem in eo nulla fiat de Deo mentio, ~~non~~ in causâ est, quia ipsemet Dei filius sub Sponsi allegoriâ in eo induitur; debuit proinde juxtà allegoriæ leges ejus nomen silere, et Sponsum induere. Certè etiam in librô Esther nulla fit de Deô mentio; idum tamen velut Spiritûs sancti opus omnes cùm Judæi, tùm Christiani venerantur.

De Librô Sapientiæ.

426 Liber Sapientiæ, seu juxta Græcos, Sapientia Salomonis, apud quondam veteres Panaretos, id est, collectio omnis virtutis, sive institutionis ad virtutem dictus est.

Noverndum sunt illius capita, in quibus Auctor Regibus, Principibus, et Judicibus instituendis potissimum versatur: ilos enim alloquens c. 6. omnes has sententias ad hunc locum dirigit. Vias ad veram sapientiam indicat, easque planiores, et minus arduas esse, quàm vulgi ferat opinio, demonstrat. Judiciorum Dei metu iniquos urget, qui etiam visô justorum in alterâ vitâ præmiô miserè invidiâ disem

liabuntur. Sapientia autem inter homines 341.
commoda, et utilitates exaggerat; tùm
hujus hominum Sapientiæ virtutem, sicut
et æternam Sapientiam præclaris elogiis pro-
sequitur. Nullus quoque in S. Scripturâ
liber invenitur, in quo Numinis Supremi
idea magnificentiùs exprimatur.

Græcum, quem habemus, hujus libri 427.
textum, et ex quo Latina Versio prodiit,
ex Hebraïcô archetypô vel conversum, vel
collectum vult Huetius*; quòd in eo Hebraïs- * Propos. 4. de lib.
mi occurrant. Carmine illum fuisse ad- Sapient. n. 2.
strictum, perinde ac reliquos Salomonis
libros, et Jobum, necnon Psalmos, non-
nulli è Veteribus memoriæ prodiderunt.

Ab aliis tamen Originalis ejus tex-
tus Græcus creditur; neque enim, contrà
quàm sentiat Huetius, Hebraïsmos, aut bar-
barismos ullos in eo deprehendi ajunt.
Profectò idius Scriptor multisfariô stylô u-
titur, nec tantùm à limine Platonis et
Græcorum Poëtarum Opera salutasse vi-
detur; cùm ex eisdem Poëtis phrases sæpè
mutuari ~~videat~~ eum non obscurè appareat,
ut quando Ambrosiam, quod Vulgata ba-
nameam vertit*, amnem oblivionis*, Re- * c. 19. v. 20. * c. 7. v. 13.
gnum Plutonis, sive Aidou, quod Vulga-
ta Regnum inferorum interpretatur*, et * c. iv. 14.
alia plura commemorat. Epithetis
autem refertus, rotundus quidem, tumèns-
que, sed turbidus ac poeticus fluit.
Judaïs Auctoribus etiam ignotus non fuit;
ex ido quippe non semel adduunt testimo-
nia, ex Græcô tantùm tamen semper depromptâ.

Latina hujus libri Versio non est 428
Sancti Hieronymi, quod ipsemet fatetur*, * Praef. in libros Salom.

7. 151

342.
~~346. 350.~~ Sed ex Vulgatâ Veteris Ecclesiæ Scripturâ juxtâ Græcum ante Hieronymum adornatâ superest. Huius Latinæ versionis vetustissimus Auctor textui constanter adhæret, qui licet aureis Latinæ linguæ temporibus floruerit, vocibus tamen minùs selectis quandoque utitur; v.g. pro divitiis habet honestatem; pro completa honestum; Dei in impios animadversionem designat nomine respectûs, visitationis; gloriolæ fumus, et jactantia, supervacuitas abipso dicitur; animalia noxia, et perniciosa vocat animalia superflua.

429. Quis autem libri istius Auctor sit inter eruditos lis est. S. Hieronymus ait, nonnullos veteres Scriptores librum hunc Philoni Judæo tribuisse. Tres porrò fuêre Philones, quorum apud Scriptores frequentior fit mentio. Primus sub Ptolemæô Philadelphô floruisse dicitur, vel potiùs fingitur, de quo tamen apud veteres nihil. Alter, Philo Biblius, hic fuit Ethnicus, eumque Josephus, et Eusebius laudant. Tertius denique fuit Philo Judæus, qui sub Cajô Imperatore, Christi sæculô 1.ô floruit.

7 * In Prolog. Galeat.

Sed neque primus, utpotè fauilè supposititius, et de quo, ut dictum, nihil apud veteres; neque secundus, utpotè Religione Ethnicus; Sed et nec tertius, licèt omnium notissimus, libri Sapientiæ Auctor constitui potest; ùm inter Sacros Scriptores unquam reputatus fuerit, quippe qui à verâ Religione alienus fuerit, nempe Christianâ, quæ illius ætate jam latè diffusa erat, atque etiammum ab ipso laudata fuit; nec liber iste hujus Philonis stylum referat; neque ullus hic ante,

sive post S. Hieronymum Scriptor, neque ipse 343.
Hieronymus hunc Philonem Libri Sapien- ~~331.~~ ~~347.~~
tiæ Autorem esse probat.

Grotius, Judæo Scriptori vernaculô 430
Sermone Scribenti post Esdram, et ante
Summum Pontificem Simonem, qui in
Sexta mundi ætate circa an. m. 3785. floruit,
hunc librum adscribit; hinc eum Ecclesias-
tici librum ordine præcedere ait; necnon
ejusdem operis versionem adornatam fuisse
ab Autore quodam Christianô Græcis Litteris
eruditissimô, qui sanè in eo vertendô quan-
doque latiùs sit expatiatus, nec originá-
lem litteram semper sectatus fuerit; quin
et nonnulla è medio fidei Christianæ de-
prompta adjecerit, eâque deduxerit, quæ
ad Judicium generale, Justorum felici-
tatem, impiorum pœnas apertiùs, quàm
in cæteris veteribus Hebræorum libris, spec-
tant. Hæc Grotius, qui tamen suæ
opinionis argumenta, rationesve ullas
laud affert; ut proinde ipsius solius testi-
moniô in singulari hujusmodi sententiâ
standum esse non videatur.

Plerique librum istum à Salomo- 431.
ne Hebraïcè primùm scriptum fuisse tuen-
tur, cujus Versio græca adornata, inter-
cidente interim originali textu, manse-
rit; idque multa suadere ajunt, 1º Ipse
Libri titulus, qui in Græcâ, Syriacâ, et
Arabicâ interpretatione Salomonis nomen
præfert, his verbis: Sapientia Salomonis.
2º Magna Christianorum Scriptorum
pars, inter quos facilè præcipui sunt, Ire-
naeus, Egesippus, apud Eusebium lib. 4. Hist.
c. 22. Tertullianus, de Præscript. Cypri-
anus, de Mortalit. Hilarius, in Psal. 129.
Ambrosius, Serm. 8. in Psal. Basilius, lib. 5.

cont. Eunom. Epiphanius, Hæres Amoreor. p. recenset aliquot Rabbini, qui hujus libri autorem Salomonem appellant. 3.° Quòd apertis verbis Salomon ipse se hujus libri autorem esse prodat his verbis*: Tu elegisti me Regem populo tuo, et Judicem filiorum tuorum, et filiarum, et dixisti me ædificare Templum in monte Sancto tuo, et in civitate Habitationis tuæ Altare, similitudinem Tabernaculi Sancti tui, quod paraveras ab initio. Et iterum*: Disponam populos, et nationes mihi erunt subditæ: timebunt me audientes Reges horrendi. Cum puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam. Deinde*: Adii Dominum et deprecatus sum illum ..... Deus Patrum meorum ..... Da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam. Denique*, Disponam populum tuum justè, et ero dignus sedium patris mei. Hæc omnia Salomoni, et nulli alii conveniunt; et sane Opus istud Sapientissimo Principe, qualis utique fuit Salomon, non indignum est.

z * c. 9. v. 7. et 8.

a * c. 8. v. 14. et 15.

b * c. 8. v. 19.

c * 8. v. 21. et c. 9. v. 1. et 4.

d * c. 9. v. 12.

432. Hæc sententia nobis probabilior videtur; eam tamen sic limitari posse arbitramur, ut Sapientiæ Salomonis liber iste, prout nunc extat, à quodam Scriptore Spiritu Dei afflatò, putà ab Esdra, vel aliò aliquò ex variis Salomonis sententiis hàc illàque forsitan dispersis collectus, conflatus, ac compilatus fuisse dicatur.

Illum extra Sacrarum Scripturarum Canonem esse volunt Acatholici, vanisque quibusdam, et futilibus ad id induti rationibus, contrà quos proinde ponitur

433. Conclusio.

Liber Sapientiæ meritò ab Ecclesiâ inter Canonicos, et divinos Sacræ Scripturæ libros recensetur.

Ob. Conclusio 1.a Auctoritate S. Scriptura. Et quidem sanctitatem suam liber hic ipsemet prodit, quippe qui nonnisi sacra, et divina, atque ad Deum, necnon aeternam felicitatem inventia tractet; prout supra declaravimus. Insuper apertum de Christi Passione vaticinium continet hi verbis in Justorum persona prolatis*: Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplina nostra. Promittit, se Scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat ..... Videamus ergo, si sermones illius veri sunt, et tentemus, quae ventura sunt illi, et sciemus, quae erunt novissima illius. Si enim est verus filius Dei, suscipiet eum, et liberabit eum de manibus contrariorum. Contumeliâ, et tormentô interrogemus eum .... Morte turpissimâ condemnemus eum. Ita omnia impleta et à Judaeis in Christum perpetrata fuisse narrant Evangelistae, praesertim Matthaeus*.

Adde, quod sacri Scriptores Salomone posteriores ex hoc libro varias sententias in suos transtulerint: ut illud Isaiae 56. v. 4. ex Sap. 2. v. 6. Ibid. c. 40. v. 13. ex Sap. 9. v. 13. Non aliter etiam idolorum fabricationem et cultum Derident Isaias c. 44. v. 13. et seq. et Jeremias c. 10. v. 3. ac derisum viderant Sap. c. 13. v. 10. et seq. item c. 14. v. 11. Illud Tobiae 13. v. 1. et 2. ex Sap. 16. v. 13. Illud Ecclesiastici c. 17. v. 1. ex Sap. 2. v. 23.

Et ut etiam ad sacros Novi Testamenti Scriptores transeamus; Illud Matth. 13. v. 43. ex Sap. 3. v. 7. Illud 1. Cor. 6. v. 2. ex Sap. 3. v. 8. mutuatus est Paulus, ut et illud Heb. 11. v. 8. ex Sap. 4. v. 10. Illud autem Ephes. 6. v. 17. ex Sap. 5. v. 19. Illud quoque, ut cetera

345.

* c. 2. v. 12. et seq.

* c. 27.

Q. V. 153

~~330.~~ 346. ~~334.~~ quamplurima omittamus, Rom. 9. v. 21. In Sap. 15. v. 7. Atqui liber, qui Sancta, et divina, qui vaticinia, et prophetias eventu suo comprobatas continet, et denique ex quo alii Scriptores Sacri sententias suas mutuarunt, et transcripserunt, meritò sacer, et inspiratus, adeoque Canonicus reputatur. Ergò liber Sapientiæ ut talis meritò censetur.

434. Prob. 2do auctoritate, et Traditione Ecclesiæ, et veterum Patrum. 1o Auctor Epistolæ, quæ Barnabæ Apostolo tribuitur, sententiam è libro Sapientiæ c. 2. v. 12. affert sententiam, Væ animæ iniquorum, qui dicunt inter se: circumveniamus justum, quia insuavis est nobis. 2o Clemens Papa I. Ep. ad Corinth. Hæc ex libro Sapientiæ c. 11. v. 22. deprompta scribit: Quis dicet, quid fecisti? aut quis resistet robori potentiæ ipsius? In Constitutionibus quoque Apostolorum, ejusdem Clementis nomine inscriptis, lib. 6. c. 30. hæc sententia ex libro Sapientiæ c. 3. v. 1. exscripta legitur: Justorum animæ in manu Dei. 3o S. ~~Dion~~ Dionysius, vulgò Areopagita dictus, lib. de divin. nomin. 1. part. c. 4. ex libro Sapientiæ testimonium profert dicens: in primis Scripturarum sacrarum institutionibus, quemdam de divinâ Sapientiâ divinæ copiosius: Amator factus sum formæ illius.* 4o Egesippus, et Irenæus, et omnis antiquorum chorus librum qui adtitulatur Sapientia, Salomonis esse dixerunt, inquit Eusebius, lib. 4. Hist. c. 22. 5o Epiphanius lib. de pond. et mensur. librum Sapientiæ, Panaretos, ab omni virtute, quæ in eo continetur, appellatum Salomoni tribuit, atque inter sacros et divinos libros recenset. 6o S. Joannes Damascenus, librum istum omni virtutum doctrinâ refertum esse

* Sap. 8. v. 2.

347.

ait, lib. 4. c. 8. Et lib. 4. de fide, illum virtuosum, et bonum esse, atque inter fideles maximo autoritatis haberi, asserit. 7º S. Ambrosius idem etiam Salomoni tribuit, lib. 4. de difficil. quæst. 8º S. Augustinus lib. 2. retract. c. 4. et lib. 2. de Doct. Chr. ait, librum Sapientiæ inter libros Propheticos esse numerandum. Et lib. 1. de prædest. Sanct. c. 14. asserit, egregios tractatores Apostolorum temporibus proximos, qui librum hunc testem adhibuerunt, nihil se adhibere, nisi divinum testimonium credidisse, idcirco proinde non debere repudiari sententiam, ut qui meruit in Ecclesiâ Christi tam longâ annositate recitari, et ab omnibus Christianis, ab Episcopis usque ad extremos laïcos, cum veneratione divinæ autoritatis audiri. 9º Melito Asianus, Ep. ad Onesim. eum in Catalogô sacrarum Scripturarum collocat. 10º S. Cyprianus idem divinam Scripturam nuncupat, lib. de habit. Virg. 11º Idem præstat Cyrillus, lib. 2. in Julian. ultra medium. 12º Innocentius I. Ep. ad Emeritum librum istum sacris et Canonicis Scripturæ libris adnumerat. 13º Concilia Sardicens. Epist. ad omnes Episcopos*, ex c. 4. hujus libri probat filium Dei esse rerum omnium effectorem. Toletanum II. Cap. 1. Carthaginense III. Concilium Magnum Lateranense. Concilium Romanum sub Gelasiô I. Papâ, in Catalogô Sac. libror. Florentinum sub Eugeniô IV. Et denique Tridentinum, librum hunc in Canonem sacrarum Scripturarum referunt. Ipsa quoque Ecclesia Catholica quotannis feriâ 4tâ Pentecostes in sacrosanctis mysteriis primam hujus libri sententiam decantat, di-

k

* apud Theodoret. lib. 2. hist. c. 8.

~~332.~~ ~~336.~~ cens: Dixit Salomon filiis suis: diligite justitiam, qui judicatis terram.

Cum igitur et Salomoni ab his omnibus ipsâque Ecclesiâ tribuatur, atque inter Sacros, et Canonicos Scripturæ libros recensetur, immeritò, et sine ratione ullâ ab Catholicis repudiatur.

438. Solvuntur Objectiones.

Ob. 1.º Liber Sapientiæ à Synagogâ magnâ, seu ab Esdrâ in Sacrorum Voluminum Canonem relatus non est. Ergò nec Canonicus dici debet, nec Salomoni tanquam Autori tribui potest. Si enim librum hunc illius esse censuisset Esdras, aut Synagoga magna, utique illum à Canone non exclusisset.

2-154

Respondet Rabbi Azarias*, Librum hunc quidem non reperiri in Canone Hebræorum, quòd Sententiarum, quibus totus constat, compilationes, et collectiones, etsi è geminis Salomonis Scriptionibus provenirent, totâque Salomonius Seminibus contexta essent, non tamen ut mera Salomonis Scriptiones haberentur, ut potè quas privati homines pro arbitrio, et captu digessissent. Ut ergo hominum illorum haud quaquam par erat autoritas, ita nec eadem fuerit collectionum harum existimatio: imò aliquarum etiam potuerint ignorari concinnatores, propterèque ut dubiæ, et incerto fidei repudiari. Notari præterea vult, persuasum esse Judæis, admissos ad Esdrâ, et Synagogâ in Canonem eos tantùm libros, qui compositi essent per hujusmodi afflatum, quem Spiritum Sanctum appellabant; cujus generis tum temporis ab illis non reputatus fuerit liber Sapientiæ, unde nec ab eis in Canonem relatus.

* Apud Huet. loc. cit. de lib. Sap.

Respondemus Nos. Post obignatum jam, et clausum à Synagogâ Magnâ Canonem reperta fortasis primùm fuerunt aliqua, quas diximus, ex Salomonis compilationibus, ac idcirò ab eo exclusa; unde tamen sequenti ævô nonnulla emerserint, quæ et auctoritatem apud Hebræos, ac locum in Canone tandem adepta sint, inter quas, et ea, quæ Sapientia inscribitur, et quæ primùm celebrari cœpisse videtur, postquam Græcè exposita est.

Ob. 2do Augustinus, lib. 2. de Doct. Chr. c. 8. et lib. 17. de civ. c. 20. Et S. Hieronymus, In proleg. galeat. Et in proleg. in lib. Salomon. libum hunc Salomoni abjudicant, hi verò, nec Canonicum esse testatur. Idem ait Epiphanius, lib. de pond. et mens. Neque etiam Gregorius cognomentô Theologus, neque Origenes, neque Eusebius, neque ullus Veterum, illum in Catalogô divinorum Voluminum recensent. Ergo &c. 436.

Resp. neg. cons. S. Augustinus opinionem suam retractavit, lib. 2. retract. c. 4. S. Hieronymus verò hunc librum Salomonis non esse laudaverit, sed veterum aliquorum opinionem, illum Philoni cuidam tribuentium refert duntaxat. Quòd autem dicat, cum in Canone ab Ecclesiâ non recipi, de Ecclesiâ sui temporis intellexit, cui cùm nondum satis apertè constaret de hujus libri auctoritate, noluit eum ad dogmatum probationem in Canonem recipere; At paulò post plenius à Spiritu Sanctô edocta, in Conciliô Carthaginensi an. 397. celebratô illum recepit, ac deinceps subsecuta Concilia in Sacrorum librorum Catalogis eum numerant.

350.
~~354.~~ ~~355.~~ Quod fictiam Origenes, necnon alii quidam è veteribus hunc librum à Canone exclusserunt, non inde tamen sequitur, eum nullo modo esse Canonicum, sed non esse de numero Scripturarum duntaxat, quæ ad primum Canonis Ordinem pertinent, seu Protocanonica sunt, et de quibus à nemine unquam dubitatum fuit. Nec id nos inficiamur, ut qui librum hunc ad secundum Canonis ordinem collocamus, atque Deuterocanonicum vocamus, quod primum temporum serie auctoritatem obtinuerit, postquam nempè Ecclesia illum tanquam divinum suscepit, &c.

Præterea videntur hi veteres de sententiâ Judæorum duntaxat loqui, non Christianorum, &c.

437. De Libro Ecclesiastici.

Liber hic Latinè Ecclesiasticus inscribitur, sive ut ab Ecclesiaste discernatur, sive quia non secus ac ille præcepta et monita ad virtutem et Sapientiam tradit. Græcè inscribitur Sapientia, seu Panaretos, seu filii Syrach, quod ut supra de libro Sapientiæ dictum est, omnium virtutum summum significat; quippe in quo omnium ætatum, et generum hominibus ad benè vivendum regulæ præscribantur. Si. idius numerantur capita.

3. 155

438. Auctor idius esse dignoscitur Jesus filius Syrach, cujus nomen, ut mox dictum, Græcum exemplar præfert, qui eum ex variis Salomonis sententiis ab ipsius operibus excepti, et in ordine digestis, concinnavit. Quamplurimas enim Salomonis sententias ex libris Proverbiorum, Ecclesiastis, et Sapientiæ in istum librum translatas fuisse hucusque demonstrant Drusius lib. 1. observat. et

Huetius, Demonst. Evang. propos. 4. de lib. Euli. 351.
unde factum, ut, quemadmodum notat S. Augustinus*, apud plerosque veteres Salomonis appellatione vocaretur, nempe quia ex ipsius sententiis collectus esset, vel saltem ipso non videretur indignus. K * de civit.

At illum non esse Salomonis, vel ex eo 439.
constat, quòd plurium, qui post Salomonem vixerunt, mentionem faciat. Imò Autor ipse se nomine prodit his verbis*: Doctrinam Sapientiæ, et disciplinæ scripsit in codice iste Jesus filius Syrach Jerosolymita. Et initiò cap. 51mi hæc leguntur: Oratio Jesu filii Syrach. Neque sententiis Salomonis in suum librum transcriptis suas quoque eum adjecisse testatur Græcus illius Interpres in Prologo hujus libri his verbis: Avus meus Jesus, postquam se amplius dedit ad diligentiam lectionis Legis, et Prophetarum, et aliorum librorum, qui nobis à parentibus nostris traditi sunt, voluit et ipse scribere aliquid horum, quæ ad doctrinam, et Sapientiam pertinent, ut desiderantes discere, et illorum periti facti magis magisque attendant animo, et confirmentur ad legitimam vitam. Addit præterea eundem Avum suum Opus istud Hebraeo sermone exarasse. * c. 50. v. 29.

Hujus Autoris ætas certò definiri 440.
non potest. Quamvis enim Simonis Summi Pontificis velut jam defuncti elogium texere videatur, c. 50. attamen inter plures hujus nominis Sacerdotes, quisnam Simon iste fuerit, est incertum. Verisimile est, hoc loco agi de Simone secundo Onia secundi filio, qui Judæorum rebus præfuit ab an. m. 3785. ant. Christ. 218. ant. Cr. 219. usque ad an. m. 3805. ant. Chr. 198. ant. Cr. 199. post cujus obitum ex cala-

mitates Judaos oppresserunt, quas Auctor innere videtur c. 36. v. 50.

441 Istius libri Interpres verò annô ætatis suæ 38.vô sub regnô Ptolemæi Evergetis circa an. m. 3873. ant. Chr. 131. ant. Ar. 139. in Ægyptum venit, prout ipsemet in præfatione testatur. Latinam interpretationem, satisque rudem eandem habemus, quam Veteres Patres usurparunt; neque enim S. Hieronymus quidquam ad illam contulit.

Acatholici, quamvis non habeant, quod cum judicio et ratione contra illum moveant tamen extra Canonem esse eum volunt. Contrà quos proindè ponitur

Conclusio.

442. Liber Ecclesiastici non secùs ac cæteri qui Salomoni adscribuntur, Libri, meritò ab Ecclesiâ inter Sacros, et Canonicos recensetur.

Prob. Conclusio 1.o Ex S. Scripturâ. 1.o Quia nihil nisi Sanctum spirat liber iste atque omnium ætatum, et conditionum hominibus regulas piè, et sanctè vivendi prescribit. 2.o Quia, ut jam supra annotavimus, continet sententias plerumque ex libris Salomonis, qui veluti Sacri, et Canonici ab omnibus habentur, excerptas, prout libri hujus Interpres à nobis supra relatus, non obscurè innuit; unde Auctor Synopsis, quæ Athanasio vulgò tribuitur, illius Scriptorem Salomonis ascelam appellat. 3.o Quia utque Apostolus Petrus, et Jacobus c. 1. suarum Epistolarum, hi v. 10. ille autem v. 24. ex c. 18. v. 10. libri hujus testimonia proferunt.

Ergò cùm nihil nisi Sanctum, et ad mores piè conformandos, non secùs ac cæteri libri Morales Canonici, contineat. Cùm plerumque

183
4·156

ex transcriptis aliorum Sacrorum librorum Sen- 353.
tentiis compilatus sit. Et cùm denique ab Apos-
tolis ipsis laudetur, ut qui ex ipso testimonia
repetunt; meritò etiam ab Ecclesiâ inter
Sacros et canonicos libros recensetur.

Ob. 2do Ex Traditione Judæorum, 443.
qui idem, quamvis in Esdrinô Canone non
recenseatur, quòd illo jam clausô primùm
prodierit, in summô semper pretiô habue-
runt, ac velut sanctum suspexerunt, pro-
ut passim apud Hebræos Autores videre est.

Ob. 3tio Ex Traditione, et Autori- 444.
tate Veterum Ecclesiæ Patrum, et Conciliorum,
qui librum hunc et divinum, et canonicum
declarant, et definiunt. Ut Clemens Alexan-
drinus, lib. 7. Strom. Cyprianus, lib. 3. Ep.
9. Epiphanius, in hæres. Amonæor.
Ambrosius, lib. 4. de fide c. 4. Et in c. 7. 1.
ad Cor. Joannes Damascenus, lib. 4.
de fide. Augustinus, lib. ad Oros. cont.
Priscillianist. Item lib. 2. de Doct. Christ.
c. 8. Denique, ut plures alios pre-
temittamus, testatur S. Athanasius, in
Epistolâ festali, libros Sapientiæ, et Ec-
clesiastici fuisse in antiquâ Ecclesiâ Ca-
theumenis præ cæteris aliis Scripturæ sa-
cræ libris prælectos, utpotè faciliores, et efform-
andis moribus magis idoneos.

Concilia item Laodicenum, Cartha-
ginense III. Romanum sub Gelasiô I. Ma-
gnum Lateranense, et Tridentinum.
Atque Innocentius I. Ep. ad Exuperium,
illum inter Sacros, et Canonicos Scripturæ
libros numerant. Ergò et Canonicus meri-
tò censendus est, et ab iis duntaxat rejicitur,
quos odium, et livor dementavit, vel
saltem contradictionis duntaxat spiritu aguntur.

~~388.~~ ~~392.~~ 354.
445.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1.º Hujus libri c. 40. v. 29. dicitur: Tili in tempore vitæ tuæ ne indigeas: melius est enim mori, quàm indigere. Atqui hic textus apertè pugnat cum isto Christi apud Matth. c. 19. v. 21. dicentis: Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus. Ergò &c.

Resp. priori Libri Ecclesiastici textu solam damnari otiosi hominis inertiam, quo illum ad egestatem, et mendicitatem redigat, non autem Evangelicam paupertatem, quam Christus in posteriori textu hominibus ad perfectionem aspirantibus suadet, et inspirat.

446 Ob. 2.º Jb. c. 49. v. 5. dicitur: Præter David, et Ezechiam, et Josiam omnes peccatum commiserunt. Atqui constat, Davidem et adulterium, et homicidium perpetrasse. Ergò &c.

Resp. Hic per antonomasiam* Scriptoris Sacro sermonem esse de peccatò idololatriæ, et fœderis cum Idololatris, à quo tres isti duntaxat Reges Juda fuerunt immunes, non de alio quocunque peccato.

447. Inst. Atqui Asa, et Josaphat Reges Juda etiam ab Idololatria peccatò fuerunt immunes, prout ipsa Scriptura testatur. Ergò.

Resp. Id quidem absolutè verum esse, sed tamen utrumque peccasse peccatò idololatriæ ammenò, et vicinò, quia patienter tulerunt, seu non abstulerunt Cœlsa, hoc est, Templa, et Altaria in excelsis locis, vel montibus erecta, et à Deò vetita; atque insuper cum Regis Israël Achab, Ochoziâ, et Joram idololatris amicitias, et fœdera junxerunt, sicque idorum idololatriam indirectè saltem foverunt, et roboraverunt, quod utique etiam fuit peccatum.

m * Antonomasia figura Rethoricæ, qua nomen appellativum pro proprio ponitur.

Caput Quartum.
De Libris Prophetiis Veteris Testamenti.

355. ~~445.~~ ~~359.~~ 448

Octodecim numerari libros Prophetic- ~~448.~~
cos Veteris Testamenti supra part. 1. c. 1. jam indicavimus, videlicet, Psalterium Davidis nomine inscriptum, Isaiam, Jeremiam cum Baruch, Ezechielem, Danielem, et alios duodecim Prophetas Minores; nimirum Osee, Joël, Amos, Abdiam, Jonam, Michaeam, Nahum, Habacuc, Sophoniam, Aggaeum, Zachariam, et Malachiam. De quibus singulis praesenti capite agemus.

5c 4. 157

De Psalterio.

449.

Liber Psalmorum hebraïce Sepher Tehilim, idest, Liber Hymnorum veluti totius Scripturae sacra epitome habetur. omnia quippe in caeteris illius libris latè deduta velut compendiò exhibet. Psalmorum liber, inquit S. Augustinus*, quaecunque utilia sunt, ex omnibus continet. Historia sacra, ait etiam S. Ambrosius*, nos instruit, Prophetia de futuris praemonet; mina impios coercent; moralis suadet; omnia aeque in Psalmis praestantur.

* Praefat. in Psal.
* Praefat. in Psal.

Totum Psalterium Hebraei in quinque libros dispescunt; quam divisionem plures Patres, vetustissimam rati, sequuntur. Eam tamen velut Novi Testamenti Scripturae contrariam improbavêre Hilarius Praefat. in Psal. Hieronymus, Praef. in Psal. et Augustinus, In Psal. 150. 450.

Quidam Commentatores collectionis, et divisionis Psalmorum eosdem fuisse Auctores arbitrantur; alii verò recentiorem post Apostolorum aetatem hanc divisionem fuisse inventam contendunt. Eam tamen vetustissimam, et à pristinis Psal- 451.

morum collectoribus factam persuaderi videtur ex eo, quod in fine cujusque libri eadem verba legantur, quo quidem ab Esdra, sive ab iis, qui post captivitatem Babylonicam Bibliorum collectioni adlaborarunt, adjecta creduntur. Attamen certissimum est, in recensione S. Scriptura librorum Psalterium apud Hebraeos, et Christianos unius libri locô semper habitum fuisse.

432. Primus Psalterii liber apud Hebraeos Psalmô apud nos 40.mô claditur; Secundus 70.mô Tertius 80.mô Quartus 105.tô Quintus denique Psalmo 150.mô Quatuor priores libros hae voces in Hebraeô finiunt, Amen, Amen; in Latinô autem, Fiat, Fiat. Quintum in Hebraeô, et Latinô terminat, Alleluja.

433. Numerus Psalmorum Canonicorum apud Judaeos, et Christianos certus semper, fixusque fuit, nempe 150. Psalmorum. Psalmus ille, qui in Graecô superadditur, extra Canonem semper fuit.

434. Eorum divisio non eadem apud omnes servatur. Novus Psalmus apud Judaeos versu 21.mô absolvitur; reliqui versus Psalmum 10.mum constituunt à versu Ut quid Domine recessisti longe? usque ad versum, Judicare pupillo, et humili p. Indeque usque ad Psalmum 113.tium — Psalmi apud illos nostris et Graecorum Psalmis unô procurrunt. Psalmum 113.tium In exitu Israel p. in duos distribuunt, ita ut Psalmus 114.tus apud illos incipiat à versu Non nobis Domine p. atque cum eo, qui apud nos est 113.tius claudatur; sicque à nostrô et Graecorum ordine duplici Psalmô recedunt, adquem junctis duobus Psal-

nis 114to videlicet Dilexi quoniam p. et 115to 357.
nempe Credidi propter quod p. unò propiùs accedunt, donec Psalmos 146tum Laudate Dominum quoniam bonus p. et 147mum Lauda Jerusalem p. denuò simul jungentes denùm quoad reliquorum ordinem nobis- Otw
cum conveniant. pag 158

Protestantes, ne vel etiam in mi- 455.
nutiis nobis consentire videantur, Hebræorum divisionem circa Psalmos sequuntur.

Discrepant etiam nonnihil vetera 456.
Græcorum, et Latinorum exemplaria in primi, et secundi Psalmi divisione: in quibusdam enim distinguuntur, in aliis junguntur. Illud planè constat, non adeò antiquam esse Psalmorum divisionem, sicque, ut Psalmis suus constet sensus, alterum alteri jungendum, vel eundem in duas partes distinguendum esse.

S. Hilarii ætate Psalmorum divi- 457.
sio apud Hebræos nondum certa, et firma habebatur; alii enim aliam probabant:* Idem testatur Origenes*, atque, Psalmos ab Hebræis nullis præscriptis numeris, quibus in certò constituantur loco, legi. Id ipsum adhuc sæculò 12mò servabant, prout produnt Genebrardus, In Psal. 9. v. 23. seu Psal. 10. in Hebræo; et Rabbi Kimchi.

* Hilar. proloq. in Psalter.
* In Psl. 2.

Receptâ apud Hebræos, et Christianos 458.
traditione vulgatum est, Psalmorum collectionem, quam habemus, Esdræ tribuendam esse. Ab ipso factam tradunt Eusebius, Hilarius, Theodoretus, Autor Synopsis, Beda, et alii. Philastrius ait* Judæorum eruditissimos collectionem

* Hæres. 77.

Psalmorum adornasse, et eodem ordine, quem à prisis, qui Psalmos de manibus hostium vindicaverant, acceperunt, singulos recensuisse.

459. Porrò Psalmorum illorum, qui sunt Davidis, collectionem Ezechiâ Rege Judæ antiquiorem fuisse, inde apertum videtur, quòd ipse pristinum Dei cultum restituens, Psalmos David in Templo decantari jussit, prout legitur 2. Paralip. c. 29. v. 25. &c.

460 Dei speculationibus delectantur, in ipso Psalmorum ordine consilium, et mysterium deprehendere sibi videntur. Hilario, Prolog. in Psal. Ambrosio, Apolog. David. c. 8. et Origeni, in Ep. ad Rom. lib. 3. c. 3. vitæ Davidis series exhiberi videtur. Euthymio, Prolog. in Psal. ius ordinem solemnitatum, quæ in Templo celebrantur, spectatum videtur.

Primorum Psalmorum tristius fere argumentum esse, subsequentium verò lætum D. Chrysostomus animadvertit.

Hujus ordinis mysterium se nondum assecutum fuisse fatetur D. Augustinus*, videri tamen sibi, ait, tres illas Psalmorum quinquagenas ad vocationem, justificationem, et glorificationem Sanctorum non incongruè pertinere; Quinquagesimi enim argumentum poenitentiam, centesimi misericordiam, et denique centesimi quinquagesimi, seu ultimi laudem Dei in Sanctis respicit.

Verùm, teste D. Hieronymo*, frustrà in Psalmis Chronologicus ordo ad certa historiæ seriem relatus quæritur; hunc enim ordinem lyrici Autores negligere consueverunt.

* In Psal. 91.

* In Psal. 50.

* In Jerem. c. 25.

Si quis autem attentè Psalmorum Textum et Sensum considerare velit, intelliget profectò, Collectores sacros — religiosam quidem adhibuisse curam, ut nullum negligerent; quem verò ordinem in illis disponendis sequerentur, contempsisse, nihilque curasse, modò nullum omitterent, an manus aliquis, et à suis partibus avulsus, an cum aliis per injuriam confusus, an bis repetitus inepsiset; cujus rei curam Psalmorum intelligentia Studentibus integram reliquerunt. 359. ~~363.~~

De autore, seu potius autoribus Psalmorum non consentiunt Doctores. Chrysostomus, in psal. 50. Ambrosius, Præfat. in Psal. Augustinus, lib. 17. de Civ. c. 14. Theodoretus, Præfat. in Psal. Cassiodorus, Prolog. in Psal. Euthymius, Præfat. in Psal. Philastrius, Hæres. 70. Quos non pauci recentiores sequuntur, unum Davidem Psalmorum Autorem agnoscunt, atque his potissimum argumentis innuntur, 1°. Quia hoc ipsum de seipso prodere videtur David his verbis: Dixit David filius Jsai, egregius Psaltes Israel: Spiritus Dei locutus est per me, &c. 2°. Quia in omnibus ceremoniis, in quibus cantica prescribuntur, semper cautum est, ut Davidis Psalmi canantur; nam in Dedicatione Templi sub Salomone Levitæ Cantica à Davide composita concinnebant*. Et cùm Ezechias cultum Domini in Templo restituit, Levitis injunctum fuit, ut laudarent Dominum sermonibus David, et Asaph videntis*. Sub Davide autem Præfectus Musicæ unus erat, cui Rex iste quamplures Psalmos musicis notis mandandos, sive concinnendos præscripsit. Denique in Dedicatione Tem- 461. ~~456~~ 459

* 2. Reg. c. 22. v. 1.

* 2. Reg. c. 7. v. 6. et 2. Paralip. c. 25. v. 5.

* 2. Paralip. c. 29. v. 30.

~~364.~~ pli post Judæorum è Captivitate Babylonicâ regressum laudes Domini Canticis Davidicis in Coetibus insonabant*. 3º Psalmos Davidis Nehemias collocavit in Bibliothecâ*. 4º Auctor Ecclesiastici Davidis Studium in pangendis Hymnis, et Canticis Domini elogiô prosequitur*. 5º In Novô Testamentô Christus, et Apostoli Psalmos Davidis nomine semper laudant*, nec tantùm eos, qui ejus nomine sunt inscripti, sed omnes passim, nullo alioquì titulô insignitos, quod de Psalmô 2. à S. Petrô factum est, Act. 4. v. 25.

b * lib. 1. Esd. c. 3. v. 30.
c * 2. Mach. c. 2. v. 13.
d * c. 49. v. 10.
e * Matth. 22. v. 42. Luca 20. v. 41. Marci 12. v. 36.

462 Nihilominus complures alii conditi viri potiorem Psalmorum partem Davidi abjudicarunt, ut Athanasius, in Psalm. Auctor Synopsis. Eusebius, Præfat. in Psal. et Comment. in Psl. 131. Hieronymus Præfat. in Psal. Davidi 72. duos Psalmos tantùm, qui Salicetro nomine ipsius sunt inscripti, tribuentes, reliquos adeò, quorum nomina pro se ferunt, adscripserunt. Imò Commentatores quamplurimi Psalmos quondam deprehendisse sibi visi sunt recentioris, quàm Davidis, Autoris opus esse, cùm in iis et de captivitate Babylonicâ, quæ longè post Davidem contigit, et de aliis similibus sermo inducatur. Quòd autem universum Psalterium Davidis nomen exhibeat, id inde provenire præcipuè videtur, quia ipse primus Psalmorum in Chorô modulis, et alternantibus vocibus canendorum auctor fuit.

463. Præter 150. Psalmos alius in Hebræô, Chaldæô, et vulgatâ omissus, legitur in Syriacô, in omnibus fermè græcis exemplaribus, in Arabicô, in versione Anglo-Saxonicâ, in Euchologiis Græcorum, in S. Athanasiô, Euthymiô, Vigiliô Thapsensi, Episto-

lis interpolatis S. Ignatii Martyris, S. Chrysostomus ad illum alludere etiam videtur, Hom. 17. ad popul. Antioch. Hujus Psalmi titulus est iste: Psalmus gratiarum actionis, cùm Goliath vicisset. Incipit autem his verbis: Primus eram inter fratres meos, et adolescentior in domô Patris mei. 361. ~~365.~~ 365.

Verùm, ut supra jam diximus, ab Ecclesiâ Psalmus iste extrâ Canonem esse jubetur.

Autor Synopsis tradit, inter 3000. Psalmos à Davide dictatos, Regem Ezechiam hosce 150. selegisse, suppressis cæteris, quod quidem se ex Paralipomenon libris accepisse significat, sed frustrà ibidem hoc quæsieris. Idem narrat Josephus Christianus Græcus Autor, in Hypomnesticô Ms. lib. 2. Michaël Glycas verò ex Psellô ait, Esdram 150. Psalmos, quos in Biblis modò legimus, ex 300. Psalmis selegisse. 467

Autor Versionis Syriacæ observat, apud quosdam inveniri 12. Psalmos aliis additos, quos ipse tamen velut apocryphos censet rejiciendos esse.

Inter 150. Psalmos istos, reperiuntur quindecim, à Psalmô videlicet 119. usque ad 133. inclusivè, quos Hebræus textus Canticum ascensionum, Latinus verò, dictione ex Hebræô desumptâ, Psalmos graduales, appellat. Canticum ascensionis autem idem hic significare videtur, ac Canticum regressus è captivitate Babylonicâ. Scriptura enim agens de regressu populi ex captivitate istâ, verbo ascendere frequentissimè utitur, ut 1 Esd. c. 1. v. 3. 5. c. 11. item c. 2. 468. 8va 160

~~366.~~ v. 1. Et ~~Esd.~~ c. 7. v. 9. 2. Esd. c. 7. v. 9. et 6. In psalmo 121. graduali 3tio. Tribus ascenderunt in Jerusalem. ac denique Ezechiel. c. 39. v. 2. Et ascendere te faciam de Lateribus Aquilonis.

~~466~~ 465 Ex his planè intelligimus, Judeos, quoties de itinere Babylone Jerosolymam agendum esset, verbo ascendere frequenter uti consuevisse; quippe quòd è Babylone in planitie sitâ in Judeam montuosam Regionem ascendendo iter pateret. Cantica igitur ascensionum, seu Psalmi graduales facilè credimus eâ occasione fuisse conuinnata, ob agendas fortè eâ de re gratias. Et hoc potissimum esse Psalmorum gradualium argumentum observamus: in iis etiam non rara recepta à populo libertatis mentio. Hos graduales Psalmos Ecclesia quoque in suum usum sumpsit, eosque recitandos singulis Quadragesimæ feriis 4tis præscribit.

467 ~~466~~ De Psalmorum titulis varia sentiunt Interpretes. Sunt, qui iisdem Canonicam auctoritatem deferri debere contendunt; alii, quia alienâ manu adjectos arbitrantur, tanquam spurios rejiciunt: nonnullis titulus totius Psalmi clavis esse videtur; alii verò nihil ad explorandum textum eum plerumque conferre rident, quippe qui fortuito, et recenti manu sit adjectus, et ex quo, ut plurimum obscurissimo nec ulli unquam Interpretum satis cognito, nihil utilitatis expectari possit. Parum est damni, inquit Muirius*, in hujus vocis Haggitthith ignoratione, cùm illa, ut et alia similes, quæ passim occurrunt in titulis Psalmorum,

* In Psal. 8. v. 1.

ad argumentum, et materiam carminis nihil pertineant. Attamen Psalmorum titulos omnes omninò contemnere non decet, cùm inter illos aliqui sint, qui Canonicam habent auctoritatem, illi nempe, qui à primis Auctoribus, sive ab Esdra ducunt originem, hi namque sunt Canonici. Alii, qui sive ante, sive post Esdram alienâ manu, vel græcâ, vel Hebræâ adjecti, nec historiæ, nec Psalmo ipsi, cui præfiguntur, congruunt, abjiciendi videntur.

Neque profectò Patribus illis, qui Psalmorum titulis auctoritatem canonicam tribuere visi sunt, alia mens esse potuit, quàm quòd tituli illi in originali textu probandi essent, quos Esdras, aut Prophetarum aliquis apposuisset. Eos præterea nusquam Ecclesia in officiò legit; et Concilium Tridentinum, cùm textui vulgatæ canonicam auctoritatem asserit, titulos sacrorum librorum in medio reliquit, prout omnes fatentur.

Cæterùm Psalmorum obscuritatem ni- 468.
hil magis prodere videtur, quàm in immensum propè auctus Commentariorum numerus, quorum P. Le Long 630. recenset*, non enumeratis iis, qui in tota Biblia, vel in partem Psalmorum tantùm Commentaria scripsere, quibus omnibus collectis, et enumeratis, ultrà 1000. in Psalmos Scriptores afferri possent. Sensum autem Psalmorum obvolvunt 1°. textûs Hebraici abstrusa dictio, quæ sanè in Psalmis, utpotè poëticò stylò exaratis, magis quàm in aliis prosâ exaratis libris se se prodit. 2°. Stylus sublimis, eóque magis à nostrâ scribendi methodò, nostrisque phrasibus discrepans, quem Amanuenses minùs assecuti, Librum tamen frequentius describentes, crebrioribus

(g) * Bibliotheca Sac. tom. 2.

mendis deformarunt, quæ menda profectò ex collatione versionis Septuagintà Interpretum Syriacæ, et S. Hieronymi cum textu Hebraicò nostræ ~~[illegible]~~ ætatis ultrò se se produnt. Inde orta etiam apud pios, religiosòque viros, qui ex vitæ instituto, quod amplexi sunt, Psalmis recitandis, et decantandis sunt deputati, tam frequentes in hisce divinis laudibus celebrandis distractiones, quod incommodum satis sciuter levavit noster R. P. Germanus Cartier, suò, quem bonis publicæ fecit, luminosò, et perpulchrò in Psalmos commentariò, ipsi textui superpositò, quem eo ordine digessit, quo Psalmi in officiò divinò Benedictinò solent recitari.

B. X 161

Solvuntur Objectiones.

469. Ob. 1.o Multa in Psalmis leguntur Deò indigna, adeò ut sine injuriò afflanti Spiritui divino adtribi non possint, ut sunt dira illa, quæ Auctor in hos adversarios interdum precatur. Ergò &c.

Resp. huic objectioni jam à nobis satisfactum esse sup. part. 1. c. 3. pag. 65. Patres, et Interpretes communiter observant, non animò optante expressa, sed futura præviditis oraculò à Prophetâ ipsis prolata: vel saltem adversarios, et peccatores, eo sensu perdendos illum præmuniare, nisi scilicet resipuerint; ac si diceret: Sanè peribunt, vel pereant, nisi in ordinem redigantur.

R * In Psal. 136. v. 11.

* In Psal. 72.

S. Chrysostomus aperitè, Prophetam ibi aliorum, non suos sensus expressisse. S. Athanasius verò, Dæmones hostes invisibiles maledictis à Prophetâ prosindi autumat.

470 ~~469~~. Ob. 2.do Psal. 31. v. 3. Dixit Propheta, Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem totâ die. Si tacuit, quomodò clamavit; si clamavit, quomodò tacuit? Ergò

Resp. Prophetam Regium non eodem 385.
sensu, nec de eodem tacuisse, et clamasse: tacuit enim, cum delicti sui, adulterii videlicet cum uxore Uriæ commissi, quod per novem menses silentii velamine tenit, et homicidii Uriæ viri ejus veniam implorare à Deo neglexit, atque peccatum confiteri distulit, donec publicè fuerit à Propheta increpatus; tunc demùm dolere [illegible], gemere, et affligi incepit, ac præ nimio dolore gemitu et afflictione demum ossa sua exarnisse, seu vires consumptas fuisse fatetur.

Ob. 3tio Psalmo 70. v. 5. idem Propheta ait: Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. Et tamen Psalmo 118. v. 99. ait: Super omnes docentes me intelexi. Ergo p. 466. 471.

Resp. cùm David ait, se litteraturam non cognoscere, intelligendus est loqui de sapientiâ Sæculi, seu profanâ, et humanâ scientiâ, vel eloquentiâ; in qua se haud versatum esse, ultrò fatetur. At cùm è contrà dicit, se super omnes docentes se intellexisse, intelligendus est loqui de scientiâ salutis, sive de necessariis ad Deum laudandum, et colendum, in quâ magis profecisse, et sive se ait, quàm omnes Magistri sui, qui eum docuerunt, sciant; quid nempe necessariò agendum sit, et ad salutem expediat, p.

Ob. 4to Psal. 115. v. 2. ait idem Propheta: omnis homo mendax, si omnis homo mendax, ergo et ipse. 469. 472.

Resp. 1º Notandum cum Sanctò Julianò Toletanò Episcopò quid præmittat Propheta: ait enim paulò ante, Ego dixi in excessu meò, id est, in excessu mentis meæ, seu in cle-

vatione mentis supra hominem dixi; omnis homo mendax; ego autem in quantum homo sum, mendax sum sicut cæteri, sed in quantum per excessum mentis supra hominem fui, non sum mendax, ac proinde, dum hæc dixi, verum dixi, nec ullatenus mihi ipsi contradixi.

Resp. 2°. Hæc non tam stricte ad litteram sumi debere, ita ut re ipsâ David sensisse dicatur, omnes homines esse mendaces, sed ad mendacium proclives duntaxat, fragiles, infirmos, inopes, et labiles ex se, quo sensu intelligunt Theologi illa verba S. Augustini*, Nemo habet de suo nisi mendacium, et peccatum.

K * Tract. 3. in Joan.

De Libro Isaiæ.

Isaiam Quatuor Majorum Prophetarum primum, ex tribu Juda regali ortum sanguine ferunt, ut qui filius fuerit Amos filii Regis Joas, et fratris Amasiæ Regis Juda.

Propheticum munus, quod statim post Oziæ Regis Juda mortem an. m. 3246. ante Chr. 754. exorsus fertur, usque ad an. m. 3306. ante Chr. 694. ante Dr. 698. atque adeo usque ad initium Regni Manassis Regis Juda, et ultra protendit, à quo deinde, prout constans est Hebræorum, et Christianorum traditio est, serrâ discissus fuit.

Idius Corpus propè Jerosolymam tumulatum fuisse ajunt sub quercu fullonis, propè fontem Siloë, unde Baneadem ad Jordanis fontes, inde Constantinopolim imperante Theodosio juniore an. Christ 442. translatum fuit.

Diu prophetavit, et qui Vaticiniorum ipsius initium annô 25. Oziæ Regis Juda statuunt, 85. annos prophetiæ illi tribuunt. At nos, cum ipsius ministerii initium ex ordiô Regis Joathan ponamus, non plures ei, quam 60. annos prophetiæ damus.

Ipsius liber 66. capitibus absolvitur, et 367.
in tres partes dividi potest. Primam sex priora ~~[illegible]~~ 371. 469. 474.
capita constituunt, ubi agitur de regnô Joathan.
Secunda sex mox sequentibus capitibus compre-
henditur, ubi Propheta de regnô Achaz disserit.
Tertia denique reliquis totius libri capitibus,
quæ Ezechiam respiciunt, comprehenditur.

Vaticinijs suis Isaias Babylonicam
captivitatem, ab eâ reditum, regnúmque Mes-
siæ sibi præcipuè proponit. Hinc fit, teste
S. Augustinô*, ut Novi Testamenti Scriptores * lib. 18. de civ. c. 29.
frequentius ex Isaiâ, quàm ex alijs Prophetis
testimonia adducant; neque non Patres aliqui
eum Evangelistam potius, quàm Prophetam nun-
cupent.

Liber iste tanquam Canonicus et divinus 475.
ab omnibus semper est habitus.

Sed præter illum scripsit adhuc Isaias
Ozia acta, quæ nunc deperdita sunt. Alium
librum Ascensionem Isaiæ inscriptum citant
Origenes, In Matth. 23. et Epist. ad African.
S. Epiphanius, Hæres. 40. et 67. et S. Hierony-
mus, In Isaiæ c. 64.

Prophetarum eloquentissimus habetur, 476
ejúsque scripta pulcherrimarum cognitionum
compendium esse, testatur idem S. Hieronymus*. * Præfat. in Isai.
Illius elogium breviter hisce ponit Ecclesiasti-
cus c. 48. v. 25. Isaias Propheta magnus, et fi-
delis in conspectu Dei. In diebus ipsius retrò
redit Sol, et addidit Regi vitam. Spiritu
magnô vidit ultima /: temporum :/ et conso-
latus est lugentes in Sion. Usque in sempi-
ternum ostendit futura, et abscondita, ante-
quam evenirent.

Ob. 1.° Hic Propheta c. 38. vi. Ezechiæ 477.
Regi prædixit mortem in crastinum futuram:
Dispone, inquit, domui tuæ, quia enim morieris
et non vives. Et tamen non mortuus est, sed

~~372.~~ ~~[illegible]~~. ultra vastinum vixit. Ergo verum eidem non prædixit Isaias, &c.

Resp. Prophetiam hanc non absolutam fuisse, sed comminatoriam tantùm, seu potiùs conditionalem, id est, nisi Deus naturæ cursum sisteret. Cùm ergo Isaias Ezechiæ dixit, Morieris &c. idem est, ac si diceret, si natura, et naturales causæ spectentur, morbus tuus est lethalis, et nisi Deus per miraculum te ~~[illegible]~~ sanet, morieris ex eo. Est enim duplex vitæ nostræ periodus, una à naturâ, altera à Deô constituta, hæc semper certa est, et fixa, nec augeri, aut minui potest; illa verò à Deô breviari, vel ampliari potest; ~~[illegible]~~ et reipsâ in Ezechiâ ampliata fuit, et mors ejus dilata, licèt secundùm causas inferiores futura.

3.162

478. Ob. 2.do Ibid. c. 58. v. 1. Dixit Isaias: clama, ne cesses. At contrà Paulus Ephes. c. 4. v. 31. clamorem prohibet. Ergo &c.

Resp. Isaiam jubere clamorem prædicationis, et postulationis veniæ; Apostolus verò prohibet idum, qui ab irâ procedit.

De libro Jeremiæ.

479. Jeremias filius Helciæ ex genere Sacerdotali prognatus in Anatoth vicô Tribûs Benjamin, in ipso matris uterô Propheta à Deô jam destinatus fuit.* 14.tô ætatis suæ annô, mundi verò 3377. ante Chr. 623. ante Dr. 627. primò Deum alloquentem se, ~~[illegible]~~ ac sibi præcipientem audivit*, ut ad Reges, Principes, et Sacerdotes hæc jussa ~~[illegible]~~ deferret; quòd munus ipse objectâ ætatis, et linguæ imbecillitate nequaquam deprecatus est. Abeo tempore, usque ad eversionem Urbis Jerosolyma, et Templi ejus, quæ facta est à Chaldæis an. m. 3416. ante Chr. 584. ante Dr. 588. non modò, sed etiam ultra prophetavit: duobus enim primùm post hanc eversionem annis, an. m. 3418. ante Chr. 582. ante Dr. 586. videlicet finem vitæ suæ imposuit, sive, quòd

n * Jerem. c. 1.

6 * Ibid.

naturali morte in Babylone, quò à Gentilibus 369.
suis unacum Baruch discipulo hô invitus fuerat abductus, obierit, prout quidam Rabbini putant; sive quòd lapidibus in Taphnis à Judaeis ejus minas, atque loquendi libertatem impatienter ferentibus fuerit obrutus, ut est Hebraeorum traditio, necnon complures antiqui tertantur, ut Tertullianus, adves. Gnostic. c. 8. Hieronymus, cont. Jovinian. lib. 2. Epiphanius, de vitâ, et morte Prophet. Dorotheus, in Synopsi. atque de ipso intelligunt illud Apostoli*, Lapidati sunt. * Heb. c. 11. v. 37.

Nonnulli tamen ~~quod~~ ex Veteribus, apud Hilarium*, autumant, idum adhuc superstitem manere, quemadmodùm Elias, quòd de ejus obitu nihil memoret Scriptura, Christusque à Judaeis creditus fuerit vel Elias, vel Jeremias*. At Theologi communiter censent, eum diem suum obiisse, et statutâ die resurcturum fore. * In Matth. 20. * Matth. 26. v. 14.

Ejus Liber 52. Capitibus absolvitur, quibus alia 5. capita subjunguntur, quae Threnos, seu Lamentationes, et orationem ipsius continent. 488.

Prophetias in eo contentas primùm scripto mandare coepit Jeremias annô 4.tô Joakim regis Juda, cùm antèa tantum vivâ voce praedicasset. Subinitium libri* contra scelera regni Juda invehitur, quae quidem eo tempore, primis nempe Josiae regis annis, summa fuêre, donec rex ipse 18.vô regni sui annô populum ad saniora reduxit*. Toto illo tempore Judaei plurima mala Jeremiae intulerunt*. Cognati, et populares ipsius ex Anatoth mortem ei minitati sunt, nisi à vaticinandô desisteret; quibus ille vicissim mortem gladiô et fame ~~[illegible]~~ praedixit. Eâ occasione queritur apud Deum, quòd impii laetos dies agant, justi verò affligantur. Eo

* c. 2. et seq.
* 4. Reg. c. 23. v. 4. et. seq.
* c. 12. et seq.

~~374.~~ tempore regionem ultio divina fame vexabat; et paulò post Deus ipsi inhibuit, ne uxorem duceret, atque filios emutiret Jerosolymis, néve domum luctus ad solandos lugentes ingrederetur; quo quidem judicio mox populo pax, lætitia, et solatium subtrahenda protendebantur. *Deinde in domum figuli alicujus se conferens, vas fictile observavit, quo in manu artificis confractò, ejusdem operâ ex eâdem argillâ alterum efformatum est; ad cujus rei similitudinem Deum reprobaturum Judæos, ac alterum pro illis populum fidelem suscitaturum prænuntiavit. Hæc in Templò prædicans, ac prædicens ibidem carceri manipatur, ubi ad alteram usque diem detentus fuit. *Porteà Joakim Regem, ut Deo adhæreat, admonuit, sed monitis non obtemperanti exitum tristem prædixit.

x * c. 18.

4164

y * c. 22.

Cap. 23. Jechonia Joakim fratri captivitatem apud Chaldæos, et omne genus ipsius à regno excludendum fore prænuntiat.

Cap. 26. Eversionem Templi prædicit. Capitibus 45. 46. et 47. p. finitimis Judæa populis, Ægyptiis nempè, Philistæis, Tyriis, Phœnicibus, Idumæis, Moabitis, Ammonitis, populis Damasci, Cedar, et Asor, p. calicem iræ Dei se præbituram minitatur; quòd eversione Templi à Chaldæis factâ impletum est, quam cap. 25. clarè prænuntiavit. Cap. 36. in carcere detentus Deò jubente Baruchio Discipulo suo prophetias suas, factò ab an. 13tiò Josiæ Regis initiò, dictavit, quas coram frequenti populò posteà Baruch ipse legeret. Hæc et alia Jeremiæ liber continet.

481. Ei, ut dictum, Lamentationes, seu threni ipsius Prophetæ subjunguntur, 5. Capitibus comprehensæ; suntque lugubres ipsius

371.

querimonia de miserabili Statu Judæorum, et de vastitate Jerosolymæ, sive eam intelligamus, quam passa est ab interitu Josiæ, ut volunt Hebræi, Chaldæus, et alii: sive eam quam à captivitate Jechoniæ sustinuit, ut vult Eusebius: sive potiùs illam accipiamus, quam intulit Nabuchodonosor sub Sedeciâ Rege, cùm Urbs eversa est, et Templum incensum, ut censent Origenes, ac Theodoretus, necnon Græci Interpretes: sive etiam ad illam direptionem respiciamus, quam fecit Titus Vespasianus, quo ex mente Hieronymi, veluti complementum est hujus Prophetiæ.

Porrò liber hic ab omnibus, velut Canonicus semper habitus est. Id in eo difficultatem aliquam parere videtur, quòd c. 36. v. 30. Jeremias contra Regem Joakim hæc vaticinetur, ac dicat: Non erit ex eo, qui sedeat super solium David, cùm tamen lib. 4. Reg. c. 24. v. 8. dicatur: Et dormivit Joakim cum patribus suis: et regnavit Joachin filius ejus pro eo. 487.

Sed Respd. Quòd, si solium David conscendere tentaverit Joachin filius Joakim, per tres circiter menses, jure ad se Sceptrò devolutò: tamen, quia pacificè in eo non sedit sed cum universâ familiâ suâ post tres, ut dictum, menses abductus Babylonem fuit, ideò non dicendus sit sedisse. Posteri verò ejus verè Reges non fuêre, sed ad summum quasi Duces vel Regibus Persarum tributarii Principes.

De Libro Baruch. 483.

Baruch filius Neriæ, Maasiæ Nepos ex illustri progenie in Tribu Juda ortum duxit. Cujus frater Saraias apud Sedeciam Regem nobilissimò fungebatur munere, ipse

autem Jeremiæ Prophetæ adhæsit, cujus et Discipulus, et à Secretis, seu Amanuensis, quoadusque vixit hic Propheta, perseveravit, nec nisi mortuum reliquit. Cum ipso, post captam jam à Nabuzardan Jerosolymorum urbem, in Ægyptum pervenit. Ibi, quod ferunt plerique, Jeremias ocubuit; Baruch etiam duodecimo captivitatis anno Babylone obiisse dicitur à Rabbinis.

Ejus liber, qui Græcè tantùm superest, ut plurimùm Jeremiæ libro ad calcem inseritur, nec pluribus, quàm sex, constat capitibus, in quibus Judæi induuntur velut peccata sua, et scelera lugentes, Deique misericordiam implorantes. Cap. 3. v. 38. de Christo, ejusque in carne adventu vaticinatur Baruch. Cap. 5. prædixit Judæos à captivitate liberandos, atque cum gloriâ in patriam reducendos. Caput 6tum continet Epistolam Jeremiæ ad Judæos in Babylone captivos, qua ipsi Propheta vaticinatur, eos post septem generationes fore liberandos. Hæc libri hujus epitome, quem Baruch se scripsisse ait c. 1. v. 1. et 2. in anno 5.to post Hierosolymitanum excidium Babylone.

Extrà Canonem illum esse volunt ex Catholicis Joannes Driedo, lib. 1. de Scripturis et Dogmat. Eccles. c. ult. Et ex Acatholicis Calvinus, lib. 3. Instit. c. 20. §. 5. Atque Chemnitius, in exam. Conc. Trid. Sess. 4. Sed immeritò, contrà quos proinde ponitur

Conclusio.

Liber Baruch meritò inter libros Canonicos S. Scripturæ recensetur.

Ob. Conclusio 1.o Ex ipso Libri hujus contextu, qui nihil nisi sanctum, et pium spirat, ut suprà memoravimus; insuper Vatè-

cinia de Christo, de liberatione Judæorum à Captivitate continet, eventu hò comprobata; cujus sententias posteriores Propheta Daniel, et Nehemias scilicet in suas Scriptiones, quæ velut Canonica ab omnibus habentur, transtulerunt, ut Daniel. c. 9. v. 13. et seq. ex Baruch c. 2. v. 17. et seq. Daniel. ib. v. 5. et 15. Item 2 Esdræ c. 9. v. 10. ex Baruch c. 2. v. 11. et seq. Iterum Daniel ib. v. 19. ex Bar. c. 2. v. 15. Daniel. ib. v. 18. ex Bar. c. 2. v. 19. Idem denique c. 6.tum quo Epistola Jeremiæ continetur, tanquam Jeremiæ scriptionem citat Autor lib. 2. Mach. c. 2. v. 1. et 2. 373. ~~[illegible]~~. ~~374.~~

Atqui liber, qui nihil nisi sanctum, et pium spirat, qui vaticinia tum de Christi in carne adventu, tum de liberatione populi Israëlitici è captivitate; quem alii Scriptores sacri transcripsisse, atque citasse videntur, meritò velut Sacer, et Canonicus haberi debet. Ergo p.

Prob. 2.do Auctoritate Ecclesiæ, quæ, 486
ex antiquâ traditione, in professò Pentecostes palam, et publicè lectionem ex libro Baruch cum lectionibus aliorum sacrorum librorum legi jubet. Concilia item Florentinum, et Tridentinum eum inter sacros et Canonicos libros recensent.

Pb. 3.tio Auctoritate Veterum Patrum, 487 487.
qui vel sub proprio Baruch, vel sub Jeremiæ nomine idem citarunt, velut divinum, atque ex eo textus adduxerunt: ut Cyprianus, lib. 2. cont. Jud. c. 8. Item apud Baruch, inquit, hic est Deus noster, p. Et serm. de Orat. Dom. Epistolam Jeremiæ, quæ est ultimum Caput libri Baruch, velut à Spiritu santo dictatam citat.

S. Hilarius nominatim ponit in Canone Epistolam Jeremiæ, præfat. comment. in Psalm. S. Cyrillus etiam nominatim citat Baruch, lib. 10.

in Julian. Clemens Alexandrinus idem Sacram Scripturam vocat, lib. 2. Pædagogi, c. 3. ut et S. Ambrosius, lib. 1. de fide, c. 2. Theodoretus totum librum exponit, eumque divinam Scripturam apertè nuncupat, in Baruch, c. 2. Idem asserit Eusebius, lib. 6. Demonst. Evang. c. 19.

Passim etiam veteres sub nomine Jeremiæ librum hunc allegant, propterea, quòd Baruch notarius, seu Scriba, et Discipulus fuerit Jeremiæ*, quæ causa fuit, cur antiqua Concilia, et Patres aliqui idem nominatim in Canone non posuerint, quia nimirum eum partem esse Jeremiæ Vaticiniorum judicabant. Certè Clemens Alexandrinus sub nomine Jeremiæ citat illud Baruchi c. 3. v. 9. et illud c. 4. v. 4.* S. Ambrosius, lib. 1. de poenit. c. 8. nomine Jeremiæ citat quædam c. 3. et ex c. 5. libri hujus, ut et lib. 3 Hexamer. c. 14. ex c. 4. S. Basilius, lib. 4. in Eunom. non procul à fine, et S. Chrysostomus, inorat. quòd Christus sit Deus, cont. gent. adducunt illud Baruchi c. 3. v. 36. Hicest Deus noster sub nomine Jeremiæ. S. Augustinus lib. 18. de civit. c. 33. eundem locum dicit ab aliquibus citari nomine Baruch, sed à pluribus nomine Jeremiæ.

Denique eundem locum sub nomine Jeremiæ adducunt Sixtus I. Ep. ad omnes fideles, Felix IV. Ep. ad Petrum Antioch. et Pelagius I. Ep. ad Vigilium. Imò hucusque usus in Ecclesiâ etiam invaluit, ut, quoties libro Baruch utitur in Horis Canonicis, idem sub nomine Jeremiæ referat. Ergo liber iste meritò Canonicus, et Divinus reputari debet, vel etiam liber Jeremiæ à Canone removeri debet, quippe sub cujus nomine prior à Patribus citatur. At de libro Jeremiæ nulla unquam fuit apud veteres controversia, ergo nec de libro Baruch, adeoque divinus est, et Canonicus.

* c. 36. v. 4.

* lib. 1. pædag. c. 10.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1.º Liber iste à Canone Judæorum excluditur. Ergo non videtur, quâ ratione ab Ecclesiâ in Canone collocari possit. 375. ~~385.~~ ~~379.~~ 488.

Resp. 1.º trans. ant. neg. cons. Non est minor Ecclesiæ auctoritas, quàm olim Synagogæ fuerit, prout alibi jam sæpiùs inculcavimus: potuit ergò Ecclesia, neglectâ Synagogæ et Judæorum opinione, post examinatam libri Baruch dignitatem, illum in Canonem recipere, p. Igitur Judæorum mos, qui librum Baruch à Canone excludunt, non satis validum est argumentum, ut et à nobis ~~rejiciatur~~ rejiciatur, cùm et alios libros, quos ipsi non admittunt, nos inter Canonicos recenseamus.

Resp. 2.º Quod liber iste in Judæorum Canone non recenseatur, id ex multorum consuetudine factum est, qui inter Jeremiæ Scriptiones librum hunc collocabant. Atque ea consuetudo à primâ Ecclesiæ ætate prodita, à veteribus Patribus servata est, ut supra ostendimus. Unde minimè dubitandum, quin sub Jeremiæ scilicet nomine in Canonem à Synagogâ magnâ, seu Esdrâ relatus fuerit.

Inst. 1.º Liber iste nunquam hebraïcè scriptus fuit, et nonnisi ex Græcò ad nos perlatus est. Ergo minimè potuit ab Esdrâ, seu Synagogâ magnâ in Canonem referri, quæ nonnisi hebraïcò sermone conscriptos libros in illum retulit, nec alios referre potuit, ut qui nondum græcè exarati fuerint. 489.

Neg. neg. ant. Quamvis enim liber Baruch græcè tantùm supersit, minimè tamen dubitandum, quin primò ab ipso Baruch hebraïcè exaratus fuerit, quod hebraïcum exemplar postmodùm interiverit ex ratione, quia inter Jeremiæ Scriptiones amissò Baruch nomine liber hic positus fuit; unde cum librarii sæpe

376.
~~380.~~ ~~387.~~ volumina exscribentes, in eorum indice Baruch nomen non reperirent, ut qui sub Jeremiæ titulo continereter, librum quoque ejus inde amovendum censuerunt, cujus nomen in titulo non comparebat. Et profectò græcam hujus libri interpretationem ex hebraïco exemplari derivatam esse evincunt complures hebraïsmi, quibus totum opus perspersum est, isque tam crebris, ut apertum sit, librum hunc esse originis hebraïcæ opus.

Hima 167

490. Inst. 2°. Hebraïsmi in hoc libro contenti id duntaxat evincunt, illum nempe scriptum fuisse ab Hellenistâ quodam, seu Hebræo græcâ linguâ utente, minimè verò quòd Hebraïca originis fuerit, et ab eâ linguâ primùm in græcum sermonem translatus fuerit. Ergò &c.

Resp. neg. ant. Neque enim verisimile est, hominem græcum, aut Hellenistam græcè scribentem tantum hebraïci coloris huic libro adinvenire potuisse, nisi præeunte ipso exemplari, cujus sententias, et dictiones hebraïcas fidus Interpres sequebatur.

491. ~~486.~~ Inst. 3°. Homini hebraïca lingua perito facile fuit, etiam cùm græcè scriberet, hebraïca lingua saporem retinere, et crebros ubique hebraïsmos aspergere. Ergò &c.

Resp. trans. ant. neg. cons. Mirum enim profectò videtur, quòd vir hebraïca lingua peritus, sub Baruch hominis hebræi nomine opus confingere, et supponere voluerit, nec tamen hebraïcam, sed græcam orationem adhibuerit.

492. ~~487.~~ Ob. 2do. Liber iste in Veteribus Bibliorum Catalogis, quorum Patres, et Concilia meminerunt, nentiquam legitur. Ergò.

Resp. neg. cons. 1°. Non omnes libri Canonici simul ab Universâ Ecclesiâ recepti fuerunt, et fieri potuit, ut quos priora

Concilia, priorèque Patres minimè recepissent, 377. ~~381.~~ ~~381.~~
eos posteriores Synodi, Patres, et Pontifices confirmarent, prout de libro Baruch factum perhibetur. 2.º Ideo librum hunc veteres Ecclesiæ tabulæ non referunt, quia passim sub Jeremiæ nomine continebatur, prout hæc ostendimus; unde factum, ut hucusque usus in Ecclesiâ invaluerit, ut quoties ipsa libro Baruch in officio Ecclesiastico utitur, idem sub Jeremiæ nomine referat. Minimè proinde dubitandum, quin Patres, et Concilia, qui sacrorum librorum Canonem edentes, Jeremiæ volumen laudomiserunt, Baruch quoque librum, qui sub prioris Prophetæ nomine apud ipsos veniebat, intelligerent.

Ob. 3.tio Cùm reliquos omnes Prophetas 488. 493.
Hieronymus commentariis his illustrasset, in hunc nihil prorsus commentatus est, quod, ut ait*, ab Hebræis non legatur, et insuper Epistolam falsò Jeremiæ adscriptam contineat. Ergo &c. * Præf. comment. in Jerem.

Resp. Ex hoc Hieronymi testimonio, quod ex iis, quæ hactenus disseruimus, penitus enervatur, id ad summum duntaxat colligitur, videlicet hô tempore librum Baruch non omnimodam in Ecclesiâ obtinuisse auctoritatem, et fortè à quibusdam receptum non fuisse, quod non officit, quin posteà, ponderatis, quæ pro illo militant, auctoritatibus et momentis, Ecclesia illum sacrorum librorum Canoni meritò adscripserit.

Porrò eidem Hieronymo Epistolam Jeremiæ, quæ c. 6. libri Baruch legitur, falsi postulanti opponimus inter alios Cyprianum, de Orat. Dom. et Hilarium Prolog. Explan. in Psal. qui hanc Epistolam velut canonicam, et à Jeremiâ exaratam suscipiunt, atque

eam unum è Canonicis libris efficere voluit Hilarius. Cujus rei ignari plerique, eam propter enigmatem suam facilè delitescentem inter Canonica Scripta non posuerunt; hinc fortè etiam factum, ut Librariorum Hebraos Codices describentium diligentiam fugerit: imò è graecis quibusdam exemplaribus eamcidisse notum est, cujus, ut diximus, causa fuit libelli enigmatis, tùm etiam situs illius diversitas, cùm interdum Threnis, nonnunquam Baruch Prophetiae subjungeretur. Fieri enim potuit, ut cùm Threnos describeret librarius ex uno codice, in quo Epistola Jeremiae subnexa erat Prophetiae Baruchi, à Threnis unâ serie ad Baruchum describendum progressus sit; deinde verò cùm Baruchum describeret ex altero Codice, in quo Threnos excipiebat Jeremiae Epistola, abincautô, et parùm attentô Librariô praetermissa sit.

Ob. 4to c. 1. v. 1. et 2. librum suum Scripsisse Baruch ait anno 5to post captam, et incaeum Templô succensam à Chaldaeis Urbem Jerusalem: et tamen eodem c. 1. v. 7. 10. et 14. Item c. 2. v. 16. fit mentio Domûs Domini, seu Templi, et Altaris Domini veluti adhuc starent, nec diruta fuissent. Atqui haec sunt contradictoria. Ergô &c.

Resp. neg. min. Non enim Urbs unacum Templô ita vastata, et igne consumpta fuit, quincùm illius, tùm Templi reliquiae aliquae, scilicet parietes, et rudera remanserint, quae intra illud quinquennium, quod, antequam Jerosolymam liber Baruch mitteretur, effluxit, refici, et aptari potuerunt, abiis, qui tùm in Civitate, tùm in ejusvicinia remanserant, ita ut velut in tugurijs se recipere potuerint, atque intra Templi

rudera super Altare, quod fortè quodammodò ab incendiò servatum, vel ab ipsis restauratum fuerat Deo sacrificia offerre potuerint, prout memoratis v. 7. 10. et 14. c. 1. dicitur, p. 379. ~~379~~ ~~389.~~

De Libro Ezechielis.

Ezechiel filius Buzi, è Sacerdotali genere*, à Nabuchodonosore, qui Joakim Regem Juda jugum, quod prius subire coactus fuerat, exutientem, in Judæam rediens, ceperat, et occiderat an. m. 3405. ante Ch. 595. ant. Cr. 599. captivus Babylonem ductus est. ~~490.~~ 495. * c. 1. v. 3.

Verisimilius est, eum, cùm captivus detineretur, primùm divinò afflatum Spiritu oracula sua fundere cœpisse an. m. videlicet 3410. ante Ch. 590. ante Cr. 594. siquidem ante suum in Chaldæam adventum nunquam Prophetam egisse legitur. 496

Vaticinari igitur cœpit annò ætatis suæ 30mò*, ut nonnulli videtur, seu potiùs annò 30mò ab innovatò cum Dominò fœdere sub Josiâ Rege Juda; neunon prophetare pervexit usque ad an. m. 3430. ante Ch. 570. ante Cr. 574. qui fuit 14tus à Jerosolima urbis excidiò, quod in Jerusalem regnante Sedeciâ accidit an. m. 3416. ante Ch. 584. ante Cr. 588. adeoque per 20. annos vaticinia sua fudit. * c. 1. v. 1.

Jeremiam, et Ezechielem eodem simul tempore, hunc trans Euphratem, alterum Jerosolymæ ante urbis excidium, oracula fundentes sibi invicem prophetias suas communicasse, ut Judæi exules animis confirmarentur, Hieronymus autumavit*. * In Ezechiel. c. 12.

Ezechielem à principe populi sui, quem ab idololatriâ revocare conabatur, inter- ~~492~~ 497.

380.
~~387.~~ futum tradunt. Sed quis ad amnem Chobar, ubi in captivitatem abductus Propheta residerat, Judæorum Princeps fuerit, non facilè reperies. Alii alia de ejus morte tradunt, quæ hucusque pro incertis habita sunt.

498. Ipsius Liber 48. capitibus absolvitur. Prioribus calamitates Judæorum, et obsidionem urbis Jerusalem prefigurat. Cap. ii. prænuntiat reliquias Israël à Deo in patriam reducendas fore, quibus daturus esset cor carneum, ut eum colant, et timeant. Cap. ix. et ix. Pseudoprophetas ac Pseudoprophetidas, eorúmque clientes gravibus verbis redarguit, quòd ex cerebro vaticinantes falsam pacem populo promitterent. Sequentibus capitibus variis figuris, et parabolis demùm varias, eásque graves Regum Israël et Judæ calamitates designat. à cap. 25. usque ad 32. Ammonitis, Moabitis, Idumæis, Palestinis, Tyriis, et Ægypto exitium prædicit. * Cap. 34. prænuntiat, Deum oves suas liberaturum, et super eas Pastorem unum s. Christum nempe, constituturum, quem nomine Davidis prefigurat, sibique in omni ubertate terræ pascantur. Eadem repetit cap. 36. et 37. Cætera, quæ sequentibus capitibus vaticinatur, obscura admodùm sunt.

D. ij p. 169.

* Vaticinium de Christo.

499. Hujus libri autoritas absque controversiâ omnium sæculorum assensu comprobata est. Narrant tamen Judæi, diutiùs in Synedriò eâ de re fuisse disceptatum; Ipsius enim initium et finis obscuriora videbantur *; unde apud ipsos nonnisi post 30mum ætatis annum idius lectio permittitur. Nihilominus hinc in ibo oriuntur difficultates, quæ à nobis solvi debent. unde

* Hieronym. Præf. in Ezechiel.

Ob. 1º c. 1. v. 12. libri hujus, hæc de quatuor animalibus ab Ezechiele visis leguntur: Illuc gradiebantur, nec revertebantur, cùm ambularent, et è contrà ibid. v. 14. de iisdem aseritur: Et animalia ibant, et revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis. Atqui, p. Ergo, p. 381. ~~386.~~ ~~387.~~ ~~499.~~ 500.

Resp. In priori textu significatur tantùm, hæc animalia ita fuisse ad obediendum suo Auriga Deo parata, ut illùc rectà pergerent, quò ducebantur, quin retrocederent, vel usquam deviarent, prout interdum faciunt in loco declivi equi nimis oneratum currum trahentes, vel protervi, aut frani impatientes. In posteriori verò textu solùm indicatur, eadem animalia eo ipso impetu, quo prescriptam sibi cursûs metam attingerent, eâdemque velocitate reverti solita fuisse, ad aliò pergendum, quocunque ducere vellet Auriga Deus.

Ob. 2º Jb. c. 14. v. 9. Dicit Deus se Prophetam, cùm loquutus fuisset verbum, decepisse, adeoque per illum fuisse mentitum. Ergò p. 499. 501.

Resp. Deum non positivè Prophetam illum decepisse, sed permissivè duntaxat: nullus enim Propheta, quamvis falsus, positivè à Deo decipitur, sed permissivè tantùm, quatenus sinit, ut in deceptionis occasiones incidat, et homines interdum fallat in eorum peccati poenam, vel alùs justis de causis. Sic Paulus loquens de adventu Antichristi in poenam præcedentium peccatorum hominum ordinatò ait*: Ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. Idest, ideò sinet eos ab Antichristò decipi, et in errorem induci. Sic lib. 3. Reg. c. 22. v. 22. Dæmoni loquenti de Achab, et

* 2. Thessal. 2. v. 10.

382.
~~396.~~ ejus quadringentis falsis Prophetis atque ad Deum dicenti: Egrediar, et ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus, dixit Deus, Deci-pies, et prævalebis: egredere, et fac ita; non quòd præcipiat Deus, ut decipiat, sed solùm permittat, dicens, Egredere, et fac ita, id est, egredere, per me licet, non impediam, sicut non impedio peccatum.

De Libro Danielis.

502. ~~497.~~ Daniel Propheta Domini è familiâ David, qui, cùm tenera ad huc esset ætatis (: duodecim annos natum ferunt :) captivus Babylonem anno 4.to Joakim Regis Juda an. m. 3398. ante Chr. 602. ante Dr. 606. abductus est. Regis Nabuchodonosoris unanum tribus sociis Ananiâ, Azariâ, et Misaële obsequio in Regiâ destinatus fuit* atque hi quatuor eâ curâ educati fuêre, quæ tali ministerio competeret, necnon omni Chaldaicâ litteraturâ imbuti.

* Daniel. c. i.

503. ~~498.~~ Hæc porrò Danielis ejusque libri, qui 14. capitibus constat, Chronologia et ordo. Ductus est Babylonem annos natus fortasse duodecim an. m. 3398.* Historia Susanna an. m. 3401.* Somnium Statuæ an. m. 3402. necnon vaticinium de Regno Christi.* Erigitur à Nabuchodonosore Statua aurea, quam tres pueri Ananias, Azarias, et Misaël adorare nolentes missi sunt in fornacem ignis ardentis, unde illæsi egrediuntur, an. m. 3417.* Somnium Nabuchodonosoris de Arbore, an. m. 3434.* Phrenetis ejusdem, an. m. 3435.* Regno restituitur an. m. 3443.* Visio quatuor animalium sub exordium Regni Balthasaris, an. m. 3449. Item vaticinium de Adventu Christi, quem nomine filii hominis designat.* Altera

170

k * c. i.
l * c. 13.
m * c. 2.
n * c. 3.
o * c. 4.
p * ibid.
q * ibid.
r * c. 7.

ida

583.
~~3448.~~ 587.

visio arietis, et hirci, an. m. 3448.* Sauri- * c. 8.
legum Balthasaris convivium: interpretatio
Scripturæ ad parietem exaratæ facta à Dania-
le: occisio impii regis Balthasaris, cui succe-
dit Darius Medus, an. m. 3448. ante Chr. 555.* * c. 5.
Initio imperii Darii Medi visio septuagin-
ta hebdomadum, quæ apertam de Christi ad-
ventu prophetiam continet, an. m. 3449. ante
Chr. 551. ante Cr. 555.* Darius latò editò, * c. 9.
neminem præter se unum, nec hominem
nec Deum triginta dierum spatiò coli ab om-
nibus, præcipit: Daniel, quod contra Regis
mandatum, nihilominus Deum colere, et ado-
rare pergeret, in foveam Leonum immittitur,
è qua die alterâ illæsus eduitur, an. m. 3450.
ante Chr. 550. ant. Cr. 554.* Visio de viro * c. 6.
lineis vestito, de resistente Principe Persarum, de
Regni Græcorum Principe, et de Michaële Prin-
cipe Judæorum, an. m. 3458. ante Chr. 542.
ante Cram 546.* Vaticinium de Regibus * c. 10.
Persarum, et Rege Græcorum p. Eodem annô.* * c. 11.
Vaticinium de Salvatione reliquiarum Ju-
dæorum, de resurrectione quorumdam ex mor-
tuis ad vitam, et quorumdam ad opprobrium;
de gloriâ Doctorum, et completione Pro-
phetiæ post statutum tempus, eodem an-
nô.* Historia Beli* et Draconis à Da- * c. 12. * Bel vel
niele ouisi; ob facinus istud, argentibus Ba- Baal idem ac Domi-
byloniis, permittente Cyrô Rege, mittitur nus apud Ægyptios
in lacum Leonum, ubi per sex dies inclusus Bel idem erat ac
ab Habame Prophetâ pastus est, septimô apud Latinos Jupiter.
autem die inclusus inde extrahitur, an. m. Hû Belus indicari
3458. ante Chr. 542. ante Cr. 546.* videtur primus Baby-
Sunt lonionum Rex.
qui non improbabiliter, imò probabilius fortè, * c. 14. et ult.
hanc historiam ad Regnum Evilmerodach,
~~quod ab parricida Balthasaris in hac libro commemoratur~~ quæ an. m. 3448. ante Chr. 555.
ante Cr. 559. Babyloniæ regnum obtinuit,

884.
~~882.~~ atque eodem annô amisit, referri debere autumant. Nam Cyrus Belum, primum Babylonis Regem, cui post mortem divinos honores exhibebant Babylonii, non colebat, ut Idolem. Neque ausi fuissent Babylonii, utpotè à Cyrô subacti, eidem mortem, nisi Danielem in Leonum foveam mitti permisisset, minitare, prout tamen minitant.* Hæc historia et libri Danielis epitome, ~~[illegible]~~ et Chronologia. Tempus, quo mortuus est, ignoratur.

* c. 14. v. 28.

904. ~~409.~~ Librum ipsius velut Canonicum, et divinum Ecclesia Catholica agnovit, sit ergò cum illâ

Conclusio.

Liber Danielis Canonicus est, et divinus.

Prb. 1º ex hoc ipso Danielis libro. In quo nempe earum rerum, quas multis antequam evenirent, sæculis, prædixit, infallibiles, et certissimi eventus inveniuntur. Imò non solum futura prædixit in hô librô Daniel, quod omnibus Prophetis commune est, sed etiam quo tempore, et sub quibus Regibus, numeratis per ordinem annis, ea evenire debuerant, certissimè prævidit, et prædixit, adeò ut non tam videatur futura prædixisse, quàm præterita narrasse; Nihil ferè enim de quatuor Babyloniorum, Persarum, Græcorum, et Romanorum Monarchiis in Gentium historiis continetur, quod in libro Danielis ante plura sæcula ab ipso pronuntiatum non legatur.

His accedit consensus sacrorum voluminum tam Veteris, quàm Novi Testamenti de Danielis Prophetiâ testimonium ferentium. In 1º Machab. librô c. 2. Matthatias mori proximus filios suos hortatur ad Legis observantiam et arumnarum tolerantiam, acceptis ex hoc Danielis librô exemplis trium puerorum è caminô ignis liberatorum, et Danielis, qui

3. 171

de ore leonum liberatus est. Christus quoque apud Matthæum c. 24. ex hoc libro excidium Urbis Jerosolymæ, et ejus Templi abominationem à Daniele Propheta prædictam denuntiat. Paulus item ad Hebræos scribens. c. 11. meminit historiæ trium puerorum et Danielis in Cavea leonum, cùm ait: Extinxerunt impetum ignis, obturaverunt ora leonum p. 385.

Atqui liber, cujus contenta vaticinia certus, et infallibilis eventus confirmavit, qui à Sacris Scriptoribus, ipsoque Christo Domino adducitur, in eorum, quæ proferunt, testimonium p, verè propheticus, adeoque divinus, ac proinde Canonicus dici, et reputari debet. Ergò p.

Prob. 2.do ex Traditione Judæorum, qui librum Danielis inter Agiographa, seu inter Sacros, et Canonicos ~~[illegible]~~ libros ~~[illegible]~~ ponunt, atque Danielem unum è maximis Prophetis, qui cum Deo Sabuerit colloquia, nuncupant, eumque non solùm futura prædicasse, sicut alii Prophetæ, sed et tempus, quo hæc eventura erant, determinasse fatentur.* Imò Thalmudistarum sententia est, librum Danielis à viris Synagogæ Magnæ fuisse elaboratum, quam alii Rabbini sequuntur. Nos autem id ita intelligendum volumus, ut Synagoga Magna librum hunc è Chaldaïco, quo sermone à Daniele scriptus fuerat, in Hebraïcum transtulerit. Ergò p. 505.

Pb. 3.tio ex Traditione Ecclesiæ, quæ testibus Ruffino lib. 2. cont. Hieronym. et S. Augustino Serm. 49. de Sanctis, jam à 1300. et quod excurrit annis, tam in Missâ, quàm aliàs in Officio varias hujus libri partes recitat. 506.

* Maimonides in More Nevochim. lib. 2. c. 45. Joseph. Antiq. lib. 10. c. ult. Thalmudicus liber Megillah c. 1.

~~490.~~ tat, ut in Missâ Sabbati Quatuor Temporum, et in Laudibus, quæ non sunt de feria, Hymnum trium puerorum. In Missa Sabbati ante Dom. 4. Quadragesimæ, Historiam Susannæ. In Missâ feria 3. post Dom. 5. Quadrag. Historiam Draconis interfecti, &c.

507. ~~500.~~ Accedunt 4.tò Concilia, et Patres, à quibus totus Danielis liber velut Canonicus et divinus semper habitus est. Canonicis Scripturis deputatur à Concilio Laodicenô sanctô 4.tô celebratô, et Carthaginensi III. an. 397. sub Siricio Papâ, et aliis. Atque omnes sacrorum librorum catalogi idem referunt per omnes Ecclesiarum Ecclesiones tanquam veri Propheta libri.

Sancti Patres verò etiam idem tanquam divinum, et propheticum agnoscunt. ut Beatus Ignatius Martyr, Ep. ad Magnesian. Origenes, hom. in Levitic. et Epist. ad Julian. African. Tertullianus, libro de coronâ militis. S. Cyprianus, lib. 1. Ep. 8. et lib. 4. Ep. 6. Item serm. de Orat. Dom. et serm. de lapsis. S. Basilius, lib. de Spiritu Sanctô c. 3. S. Epiphanius, in Anchoratô. S. Joan. Chrysostomus, Hom. 4. ad popul. Antioch. Theodoretus, comment. in Daniel. S. Ambrosius, lib. 3. de Spiritu Sanctô. S. Augustinus, lib. de natura boni, et tract. 36. in Joan. Ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

508. Ob. 1.º Liber hic non est Danielis illius, qui inter viros sanctos, et Prophetas in quibusdam Sacræ Scripturæ locis memoratur. Ergo fictitius est, et Danieli falsò adscriptus. Ob. ant. Ezechiel, qui, ut suprà, ubi de illius librô egimus, à nobis notatum est, an. m. circiter 3410. oracula sua fundere coepit, Danielis meminit velut alium jam defuncti,

vel saltem jam provecta ætatis, et multorum liberorum parentis; sic enim de eo, atque Noë et Job loquentem Dominum induit, c. 14. v. 14. et v. 16. Si fuerint tres viri isti Noë, Daniel, et Job in medio ejus /: terræ pacatrix :/ videlicet: vivo ego, dicit Dominus, quia nec filios, ~~nec filias~~ nec filias liberabunt. Atqui tunc Daniel noster ad summum erat 24. annorum, nec unquam filios habuit, aut filias, ut qui eunuchus fuerit, prout communiter tradunt Judæi, quibus assentiuntur Origenes, et Hieronymus. Ergo fictitius est liber, quem sub Danielis viri sancti, et Prophetæ nomine pro manibus habemus.

Resp. ad 1.um Arg. neg. ant. ad ejus prob. neg. ant. Propheta Ezechiel adducto loco loquitur hypothetice tantum, non absolute, et perinde ac si diceret, si Daniel filios haberet, eos non liberaret, quod patet ex eo, quia de Noë et Job, qui multis ante sæculis jam è vita excesserant, eadem ac de Daniele dicit Ezechiel: annumerat autem eum inter viros grandævos, quia quamvis adhuc juvenis esset, tamen notus erat populo, propter Susanne liberationem, somniorum Regis interpretationem, et ovisionem Presbyterorum Idoli Bel.

Ob. 2.do Liber iste partim Chaldaïce, partim Hebraïce, partimque græce scriptus roditur. Ergo à variis diversarum rationum scriptoribus videtur esse malè digesta, et consuta historia. 509.

Resp. Equidem primum hujus libri caput cum tribus primis versiculis sequentis capitis hebraïce scriptum tenemus; sequen-

tia usque ad caput octavum Chaldaïcè exarata sunt, quæ postmodùm à Rabbi Levi ben Gerson Hebraïcè reddita sunt; reliqua verò Hebraïcô sermone narrantur, præter orationem Azaria, c. 3. v. 25. et seq. Hymnum trium puerorum, Ibid. v. 51. et seq. Susanna et Beli, ac Daconis historias, quæ tempore Hieronymi Græcè tantùm supercrant. Non tamen dubitandum, quin Liber iste primùm Chaldaïcè fuerit ab ipso Daniele exaratus, qui Chaldaïcâ linguâ, jussu Regis Babylonorum fuerat imbutus, et magnum linguæ hujus usum diutinâ inter Chaldæos commoratione comparaverat; deinde Hebraïcè à Judæis reduibus in gratiam, et utilitatem suæ gentis; denùm etiam Græcè ab Autore priscæ Interpretationis, ab Aquilâ, à Theodotione, à Symmachô, et aliis translatus; ita ut temporum injuriâ Chaldaïcâ et Hebræâ illius editionibus malè mulctatis, ac detruncatis, vel, prout conjicit Origenes, ex hoc libro deditâ operâ à recentioris ævi Judæis suppressis iis, et expunctis, quæ Majorum suorum infamiam, Scelerumque vestigia exhibebant, sola integra perstitit Græca versio.

510. Ob 3tio Ejusdem libri c. i. v. 21. hæc leguntur: fuit autem Daniel, usque ad annum primum Cyri Regis. Item c. 6. v. 28. Porrò Daniel perseveravit usque ad regnum Darii, regnumque Cyri Persæ. Et tamen c. c. 10. v. 1. dicitur: Annô tertiô Cyri Regis Persarum, verbum revelatum est Daniel. Atqui duo priores textus innuunt, Danielem obiisse primô Regni Cyri annô, et posterior è contrà ait, eum tertiô ejusdem Cyri annô adhuc fuisse superstitem.

5

sta 173

389. ~~377.~~ ~~393.~~ 5

Resp. In duobus prioribus textibus significatur solùm, Danielem in Regis aulâ, et maximô in honore ac gloriâ fuisse usque ad primum Cyri regnantis annum, hoc est, totô ~~captivitatis~~ tempore captivitatis, et servitutis, neenon Babylonica Judæorum afflictionis, quod non excludit, eundem Danielem, relictâ aulâ Jerusalem reversum, privatam adhuc per duos annos egisse vitam, usque ad 3tium Cyri Regis annum, prout posterior indicat textus.

Ob. 4to Ibid. c. 9. v. 1. Darius dicitur Asueri filius. Et tamen 1. Esd. c. 4. v. 6. et Esther c. 1. v. 6. Asuerus Dariô longè posterior ~~fuisse~~ fuisse dicitur. Ergò. ~~ccc.~~ 511.

Resp. Cùm Darius Asueri filius vocatur, idem est, ac si dicatur filius Magni Principis, seu Regis Medorum, nempe Astyagis; Asuerus enim non erat nomen proprium, sed commune Regis Medorum, sicut Artaxerxes Regis Persarum: undè est, quod Cambyses, et Maritus Esther, aliique Secundæ Monarchiæ Reges vocentur modò Asueri, modò Artaxerxes prout Medis, vel Persis, quibus utrisque imperabant, propriô gentium illarum nomine contingebat eos appellari.

Ob. 5to Præter diversas hujus libri phrases, auctor illius se Græcum fuisse prodit, cùm Danielem græcis allusionibus Presbyteris respondentem adduxit c. 13. Deductis verbo Chisein*, hoc est Scindere à dictione chinu*, idest, Lentisco; et verbô prisein*, idest, Secare, à nomine prinu*, hoc est Ilice: quæ etymologiæ nec Hebræo, nec Chaldæo sermoni possunt ~~ccc.~~ 512.

* χίδειν.
* χινυ.
* πρίδειν.
* πρινυ.

~~394.~~ adaptari. Ergò liber hic falsò adscribitur Danieli Prophetæ.

Resp. neg. ant. Phrases in libro hoc contentæ potiùs Græcum translatorem, quàm auctorem arguunt, quippe quæ Hebraismum frequentissimè redoleant, prout ab eruditis viris jam diu observatum fuit.

Fatemur etiam, Danielem in hoc judicio, quo Susannam ab iniquâ duorum senum illorum accusatione vindicavit, ac liberavit, usum non esse his græcis vocibus, neque istis ad voces græcas allusionibus, sed alias Chaldaicas voces nobis ignotas adhibuisse, quibus tamen secundùm Chaldaicæ linguæ proprietatem aliqua verba Sindendi, et Secandi responderent. Græcus ergo Interpres non vertit ad verbum, sed ad sensum, utque allusiones servaret, alias arbores accepit, quibus in Græco responderent allusiones ad verba Sindendi, et Secandi; quod sanè in optimo interpretandi genere fastitari solemne est.

513. ~~548.~~ Ob. 6.to Eodem c. 13. et in eâdem Susannæ historiâ Daniel dicitur fuisse puer junior. At sup. c. 7. dicitur fuisse unus ex primis Satrapis Darii Medi, quo tempore utique puer amplius non erat. Atqui hæc sunt contradictoria. Ergò &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Vulgata nostra non omnia eo ordine, quo re ipsâ evenerunt, in Danielis libro recenset, sed interdùm prius narrat ea, quæ primùm posteà facta sunt; unde in Græcorum Codicibus, in quibus historiæ ordo magis servatur, liber hic incipit ab histo-

391
~~379. 390.~~

riâ Susanna, quippe quæ primis captivitatis Danielis annis, et cùm adhuc 15. circiter annorum puer esset an. m. 3401. ante Chr. 599. ante Cr. 603. contigisse perhibetur. Hanc autem historiam Hieronymus, qui librum hunc ex Hebræo in Latinum transtulit, et Latinæ Ecclesiæ tradidit, ad illius calcem rejecit, ut intelligeremus, eam ex Hebræo interiisse, atque, ut suprà ex Origene annotavimus, à Judæis recentioribus suppressam, et deletam fuisse.

Inst. Memoratum cap. 13. Danielis, quo historia Susannæ præviè continetur, his verbis finitur: Et Rex Astyages (alias Darius Medus:*) appositus est ad patres suos, et suscepit Cyrus Persæ regnum ejus; quod evenit an. m. 3456. Atqui hæc innuunt, hanc Susannæ historiam audisse vel sub finem Imperii Astyagis, vel initiò Cyri. Ergò &c.

~~2934.~~

* Imperavit Babylone ab an. m. 3448. usque ad an. 3456.

Resp. Conc. maj. neg. min. Duo hæ de morte Astyagis, et principiò regni Cyri Persis dicuntur, perperam ab Interprete Latinò, seu potius librariò et ammamuensi ad calcem capitis 13. libri Danielis posita sunt, ut quæ ad historiam Susannæ proximè narratam non pertineant, sed constituant initium capitis 14.ti et Ultimi. Id liquidò patet ex contextu, et dispositione Græcorum Codicum, præsertim editionis Græcæ Sixti V. Papæ, in quâ versus ille 65. et ult. cap. 13.ti vulgatæ nostræ connectitur cum cap. 14.to idque initium constituit, non

~~516.~~ vero cum historiâ Susanna, quæ longo tempore ea præcepit, quæ memoratô cap. 14tô narrantur.

515. ~~516.~~ Ob. 7mo Josephus lib. 10. antiquit. Historias Susanna, Beli, et Draconis in vulgatâ nostrâ recensitas c. 13. et 14. Danielis gesta perscribens tanquam fabulas omittit. Hieronymus quoque eas fabulas appellavit, et velut lectu indignas obelô, seu veru jugulante transfixit, ac à reliquô Danielis volumine detruncavit, multisque argumentis confutavit, præf. in Daniel. Item, præf. in comment. ejusdem. Ergo ex ipsâ sunt fabulæ.

Resp. trans. ant. nec enim secundum omnia verum est. Neg. cons. Josephus lib. 10. antiquit. c. 12. has et multas alias sacras historias se silentiô præterisse fatetur, non quia eas narratione hâ indignas censebat, sed quia in antiquis Hebræorum libris scriptæ non erant, quos solos sumpserat transferendos. Hieronymus autem prolog. 2. cont. Ruffin. ait, se non quid sentiret explicuisse in citatis prologis, sed quid Judæi dicerent, indicasse. Obelô verô has historias notavit, ut, quod jam supra memoravimus, sciremus, eas hâ ætate non amplius in Hebræô fuisse.

516. ~~517.~~ Inst. Sed cur eas fabulas vocat, nisi quia commentitias censuit? Ergo sp.

Resp. Cum fabulæ nomen non à fabulando, sed à fando hui deduxisse: nam et qui vera narrant, communi gentium loquutione fabulari dicuntur; sicut de duobus discipulis, de morte Christi in itinere loquentibus, dicit Lucas c. ult. v. 15. Et dum fabularentur ad invicem, hoc est, colloquerentur.

* Certè si S. Hieronymus eas fabulas et fictitias censuisset, non utique in eas commentatus fuisset, prout tamen commentatus est, sp.

De Osee Propheta, et ejus Libro.

393. ~~[illegible]~~. ~~397~~. ~~412~~. 517.

Osee duodecim minorum Prophetarum primus fuit filius Beeri*, ex patriâ Belemoth in Tribu Isachar, quæ videtur eadem esse ac Beelmon in eâdem Tribu sita versus Esdrelon. Eius patrem ferunt Rabbini fuisse Beerum*, Tribûs Ruben Principem eo tempore, quo Theglathphalassar nonnullos ex Tribubus Israël in captivitatem abduxit an. m. 3245. ante Chr. 755. ante Dr. 759. Quæ si vera sint, profectò dicere debebimus, Osee natum esse ex Tribu Ruben, et ex Patriâ Beelmon ultrà Jordanem fuisse.

* Epiph. lib. de Vit. Prophet.

* 1. paralip.

Vixit in regnô Samariæ, ejusque Prophetia ut plurimum in regnum respiciunt, licèt quædam ad regnum Juda pertinentia etiam edisserat.

Liber ipsius, qui 14. constat Capitibus in Vulgatâ nostrâ his verbis incipit*: Verbum Domini, quod factum est ad Osee filium Beeri in diebus Ozia, Joathan, Achaz, Ezechiæ, Regum Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas Regis Israël. Quod tamen comprobari nequit, nisi Osee plus æquô vixisse fateamur. Abinitiô enim regni Oziæ, quod coepit an. m. 3194. ante Chr. 806. ante Dr. 810. usque ad finem regni Ezechiæ, quod defiit an. m. 3306. ante Chr. 694. ante Dr. 698. anni 112. numerantur, quibus si addamus 20. aut 25. annos, quos natum Osee credimus, cùm vaticinari coepit, anni 132. vel 137. complebuntur, quòd si autem Decem, vel duodecim à regno Ozia, et Decem, vel tredecim à regno Ezechiæ, quibus Osee va-

* 412. 518.

* c. 1. v. 1.

~~319.~~ 320. tiinari non potuerit, annos demamus, adhuc tamen 112. vel 117. supererunt anni, quod diutinum prophetandi tempus ex ipso Osee nusquam colligitur. Cur etiam de regnis Regum, sub quorum Dominiô minimè vixit, ipsius Prophetiæ sint inscriptæ, non videmus. Unde initium istud Prophetiæ Osee, seu versum 1. cap. 1. non ab ipso, sed ab aliquo veteri Scribâ, imprimis quidem, appositum censemus; atque ejus Prophetiam à versu 2.do seu ab his verbis, Principium loquendi Domino in Osee &c. incipiendam esse arbitramur. Sua igitur Vaticinia aggressus est circa finem regni Jeroboami II. Regis Israël, an. m. 3222. ante Christ. 778. ante Dr. 782.

519. Prophetarum omnium, quorum Vaticinia supersunt à Hieronymô, in Osee; Basiliô, in Isai. c. 1. Ruffinô aliisque pluribus Osee vetustissimus habetur; attamen alius Amos vetustior videtur, ut qui circa an. m. 3215. prophetias suas ~~fuderit~~ fundere incœperit: sed de hoc postèa.

Eo vivente quatuor Tribus à Theglathphalassare primò in captivitatem abductæ fuerunt, et deinde eversum à Salmanassare Samariæ regnum; post cujus eversionem tamen adhuc stetisse vaticinium asserit Hieronymus.

920. ~~515.~~ Capitis 1. Prophetiæ hujus initium ad Zacharia Regis Israël, Jeroboami II. filii mortem refertur. A 6.to versiculô ejusdem Capitis usque ad c. 3. Israëlis captivitas, et post eam captivorum libertas prædicitur. In Regni Decem Tribuum flagitia Osee vehementer insurgit, cujus etiam ætate non modò in Dan, Bethel, et Sama-

395.

via, verùm etiam in Galgala c. 4. v. 15. et c. 9. v. 15. et c. 12. v. 11. In Dukem c. 6. v. 9. In Bersabee; In montibus Thabor, c. 5. v. 1. In galaad, c. 5. v. 1. et c. 6. v. 8. idolis cultus videtur fuisse exhibitus. Loquitur denique de Israëlitis, velut de populo ad scelus quodlibet parato, cujus flagitia deflere quidem possent, augeri non possent. Eorum vitulos aureos evertendos, conterendos, Israëlitas verò in Assyriam transferendos fore vaticinatur, c. 8. v. 5. et c. 10. v. 5.

Neque etiam scelera Judæ preterit eósque in Galgala adcolenda idola pergentes increpat c. 4. v. 15. Sennacherib adventum in legionem Judæ, c. 8. v. 14. Judæ populos post decem Tribuum captivitatem his domibus aliquamdiu adhuc fruituros, c. 1. v. 7. Postea tamen et ipsos ultra Euphratem captivos deducendos esse; indè etiam reducendos c. 1. v. 10. promuntiat.

Hujus Prophetæ Stylus est adeò obscurus; phrases sæpè difficiles, et intricatæ; ad quam obscuritatem velementer conferunt ea, de quibus agit; cùm valde absint à nostrâ ætate, nósque eorum temporum historiam ad amussim non possideamus.

Plures Interpretes Osee conjugium sibi à Deo* præceptum cum muliere prostitutâ parabolam duntaxat esse arbitrantur: attamen ex toto Osee textu satis superque patet, hoc conjugium verè contigisse, quamvis illud per figuram ea etiam expresserit, quæ deinde comprobavit eventus. Verùmtamen culpandus est, inquit S. Hieronymus*, quòd meretricem converterit ad pudicitiam,

8

8
176

pag. 521.

* c. 1.

* Comment. in Osee c. 1.

~~400. 387.~~ Sed laudandus potiùs, quòd ex malâ bonam fecerit ..... præsertim, cùm non ob causam luxuriæ, non libidinis, non propriâ fecerit voluntate, sed Dei paruerit imperio; ut quod in illo carnaliter prostitum legimus, in Deô spiritualiter factum probaremus.

De Joële ejúsque Prophetiâ.

522. ~~517.~~

Joël Phatuëlis filius inter duodecim minores Prophetas secundus, ex Tribu Ruben, et urbe Betharan oriundus, in regnô Juda vaticinatus est post decem tribuum captivitatem, ut credimus, et regni Israëlis eversionem. Quo tamen tempore vaticinari inceperit, et quo obierit, incertum. Maximâ quidem annonæ caritate, et Locustarum nube Judæam affligendam pronuntiat; at cùm eo calamitates regionem illam sæpissimè afflixerint, neque singulæ in peculiares tabulas regestæ fuerint, nihil inde addui potest, quo hujus Prophetiæ Epocha constitui valeat.

Hebræi Manasse in Jerusalem imperante, cujus regnum an. m. 3306. ante Chr. 694. ante Dr. 698. sumpsit initium mors autem in an. m. 3361. ante Chr. 639. ante Dr. 643. inuidit, Joelem vaticinatum ferunt: famem autem, quam ipse prænuntiat, eandem esse putant, ac eam, de quâ Jeremias c. 8. v. 13. Id si verum sit, profectò post Manassem Joël prophetasse dicendus est; eodem enim Jeremiæ locô propter præterita Manassis flagitia Hebræos se dispersurum minatur Dominus, ex quo Manasses è vivis jam demigrasse ostenditur. Quamobrem commodiùs sub Josiâ Rege

Juda, eâdémque, qua Jeremias floruit, æta- 397. ~~401~~.
te Joël statuitur, scilicet circa an. m. 3389.
ante Christ. 615. ante Eram 623.

Tribus duntaxat capitibus tota ~~518~~. 523.
Joëlis Prophetia absolvitur. c. 1. hostilis
instar exercitûs locustarum immensum
agmen in Judæam irruturum minatur,
quæ, bruchis interim, et acris siccitate le-
gionem populantibus maximam populis
caritatem inferent; hortatúrque omnes,
et potissimùm Sacerdotes ad planctum, jejuni-
um, et orationem, plangens et ipse vastita-
tem terræ populi sui. Cap. 2. Diem Do-
mini, et ultionem de impiis à Deô sumendam
vetiinatur. agit præterea de justitiæ Doc-
tore à Deô in terris donandô; de Spiritu sanctô
in homines effundendô; de cœlesti Jerusa-
lem, quam per totam æternitatem justi
incolent; de salute, quæ de Jerusalem ingre-
dietur, et quam is consequetur, qui nomen
Domini in auxilium sibi advocaverit;
quæ omnia ad novam Christi Ecclesiam
referuntur. Denique cap. 3. minatur
Dominus magnam afflictionem gentibus,
quæ populum suum afflixerunt; et quòd
omnes in valle Josaphat judicaturus sit,
quod ad extremum judicii diem refertur.

De Amos ejúsque Prophe- ~~519~~ 524.
tiâ.

Amos inter Prophetas Minores or-
dine tertius, ovium Pastor, ex urbe
Thecue in Tribu Juda quatuor leucis
ab Jerusalem versùs meridiem ortum
duxisse, nulla tamen satis firmô argu-
mentô, ferunt.

398.
~~402.~~
525. ~~520.~~

Pr. Z 177

Ex urbe Bethel Ditionis Decem Tribuum, in quâ sub Jeroboamo II. circa an. m. 3215. ante Chr. 785. ante Dr. 789. prophetare coepit; jussu Regis pulsus, ad Civitatem Thecue se recepit, ubi et Prophetam egit; quare è Regnô Israël Originem duxisse, et Israëlitas potissimùm illius missio spectasse verisimilius

Prophetare coepit duobus annis, antequam terræ motus ide contingeret sub Ozia Rege*, quem Josephus lib. 9. antiquit. c. 11. ac Veteres, neuon recentiores Commentatores vulgò ad tempus illud referunt, quo lex iste mums Sacerdotale offerendi incensi usurpare ausus est, circâ annum m. nempe 3221. ante chr. 779. ante Dr. 783. At id verum non erit si, quod tradunt, Jonathas Ozia filius eodem an. m. 3221. natus est; quandoquidem eo tempore, quo Ozias incensum obtulit, Jonathas ætatem regno aptam jam habuisse Scriptura prodit*, unde ide terræ motus, de quo sermo est, prius audisse dici debet.

* 4. Reg. c. 15. v. 5.

* 2. Paralip. c. 26.

526 ~~521.~~ Novem capitibus Prophetia ipsius absolvitur. Duo prima capita impenduntur contra Damascum, Philistæos, Syrios, Idumæos, Ammonitas, et Regna Juda, et Israël. Mala, quæ minatur, spectant tempora Salmanassar, Theglatphalassar, Sennacherib, et Nabuchodonosor, qui horum populorum provincias devastaverunt, atque Israëlitas, aliosque abduxerunt captivos. Prædicit calamitates regno Israël imminentes post mortem Jeroboami II. tum temporis regnantis; expeditiones Phul, et Theglathphalassar;

contrâ Israëlitas; captivitatem, egressum de- [illegible].
cem Tribuum. Demum Israëlitarum vitia, luxum, avaritiam, maximè in pauperes, et immodica convivia castigat: nec remissiùs agit adversùs peregrinationes religionis causâ ab Israëlitis susceptas ad falsa numina in Bethel, Dan, Galgala, et Bersabee; necnon jurantes per Deos alienos. Tandem prædixit, Deum suscitaturum tabernaculum David, et captivitatem filiorum Israël conversurum cum magnâ ipsorum felicitate.

Quo mortis genere Amos obierit, igno- [illegible] 527.
tum est. Cyrillus, Præfat. in eundem tradit, Amasiam vitulorum aureorum, qui in Bethel colebantur, Sacerdotem, quo instigante eâ Urbe pulsus fuit, dentes illi confringi jussisse, ut ad silendum adigeret. Epiphanius verò, De vit. Prophet. c. 12. Isidorus, De vitâ, et morte Sanct. c. 43. Dorotheus, In Synopsi, et alii narrant, Oseam, seu Oziam dicti Amasiæ Sacerdotis filium in tempora ei clavum infixisse, quo ictu pene exanimatus Thecuam translatus, ibidem brevi post diem clauserit, atque in sepulchrô Patrum suorum contumulatus fuerit. Sed verisimilius est, Prophetam hunc, postquam solum vertere ab Amasiâ coactus fuit, diutiùs in urbe Thecue substitisse; nec gravius quidquam ab iniquo isto vitulorum Sacerdote accepisse, ex eo colligi potest, quòd nunquam eâ de re conqueratur; id solùm c. 7. v. 12. innuit, prohibitum scilicet se esse, ne ultrà in Bethel vaticinaretur.

Stylum hujus Prophetæ humiliorem [illegible].
esse censet S. Hieronymus*, eumque omnes suas comparationes è re campestri trahere observat, pro more satis recepto, ut singuli de rebus sua

* Prolog. Expos. in Amos.
* In Amos c. 1. v. 2.

~~400.~~ artis libentius agant; nam Armentarius erat, et-
* Amos c. 7. v. 14. que Sycomoros vellicans, seu compungens.*

Z / 178

* lib. 4. de Doct. Christ. c. 7.

S. Augustinus verò illum adduit,* ut ostendat, Scriptores sacros genere quodam eloquentiæ uti adeò spiritum et prudentiam præ se ferente, neque rebus, de quibus agunt, ita convenientè, ut qui ruditatem, et rusticitatem in illis carpunt, neque ipsimet magis aptum personis, et circumstantiis stylum eligere potuissent.

De Abdiâ
ejúsque Prophetiâ.

528. ~~523.~~ Abdias quartus inter Prophetas minores, de cujus Tribu et parentibus nihil constat, unicum scripsit capitulum contra Idumæos.

Eum tempore captivitatis Babylonicæ, et Jeremiæ vixisse contendit Calmet.*
* Dict. Bib. Vet. Amos

at paulò ante ea tempora illum floruisse vult Huëtius,* ut qui Osee, Joeli, et Amos contemporaneum fuisse tradat.
* l. cit. in Amos.

529. Idumæis ob crudelitatem in filios Israël exercitam extremum minatur exitium. Ipsos redarguit, quod Juda hostibus adjuncti, dum super Jerusalem sortes mitterent, ad exitus viarum starent, fugientes interfecturi.

Prædicit instauranda Jerusalem: Domum Israël ès dominaturam, quibus nunc parebat: Ipsam velut ignem, Domum verò Esau ut paleam futuram. Reditum Judæ à captivitate apertè prænuntiat.

Jeremiæ stylum imitari videtur, ac penè verba transcribere; quod in causâ est, ut tempore ipsius Jeremiæ floruisse credatur.

Verisimile est, minas ab Abdiâ contra Edom enuntiatas aliquâ ex parte fuisse à Nabuchodonosore executioni mandatas, qui annò post Jerosolymæ desolationem quintò,

m. 3421. ante Chr. 579. ante Dr. 583. arma in finitimos Judæis populos protulit: reliquas verò minas tempore Machabæorum fuisse adimpletas. 401 ~~3819~~ 405.

De illius Sepulchro agit S. Hieronymus, à S. Paulâ Samariæ visô*: * Ep. 27. seu Epitaph. Paulæ

De Jonâ, ipsûsque Prophetiâ. ~~1220~~ 534.

Jonas Amathi filius, inter Minores Prophetas ordine quintus, Galilæus ex Urbe Geth-Opher oriundus*, quæ eadem creditur, ac Jotapata à Josephô Historiô adversus Romanos paulò ante Jerosolymitanum excidium in defensa. * 4. Reg. c. 14. v. 25.

Geth-Opher in ditione Tribûs Zabulon sita erat, ubi et Regio Opher, sive Epher, eam S. Hieronymus 2000. passibus à Sephori Tiberiadem versus removet.

Sub Joas, et Jeroboamo II. floruit circa ~~1220~~. 531.
an. m. 3222. ante Chr. 778. ante Dr. 782. Cætera, quæ de illo tradunt Scriptores, cum nempe filium fuisse viduæ illius Sarepthanæ ab Eliâ vitæ restitutum*; vel Sunamitidis filium itidem ab Elisæô ad vitam revocatum*; aut Prophetam illum ab Elisæô ad Jehu missum, ut eum in Regem consecraret*; incerta sunt fidei, imò minus cum veritate stare posse videntur. * 3. Reg. c. 17. v. 17. * 4. Reg. c. 4. v. 16. * 4. Reg. c. 9. v. 1.

Hæc verò de Jona ex ipsius libro, qui ~~1227~~. 532.
quatuor constat capitibus, certò sumus. *Ninivem pergere jussus à Deô, ut de impendente cæli ultione urbis hujus populos moneret, neglectô Dei mandatô, Tharsum Ciliciæ conscensâ navi fugiens contendit, sed orta tempestas non prius sedata est, quàm Jonas in mare projectus fuerit. *Absorptus à Cetô, tribus diebus ac noctibus in eo delituit, eumque de ventre ejus orasset Dominum, iis exactis, in aridam à Cetô * c. 1. * c. 2.

~~402.~~ evomitur. *Itèrùm à Dominò jussus Ninivem
*c.3. ingreditur trium dierum itinere protensam
civitatem, ac unius diei itinere per vicos cla-
mantem: Adhuc quadraginta dies, et Ninive
subvertetur, audierunt Ninivitæ, et pœniten-
tiâ duti, præeunte eorum Rege Chul, quem
profani Scriptores Anacydarasum, seu Ana-
barem vocant, Dardanapali fortè patre, sacò
induti, et cinere conspersi à cibò omnes om-
ninò abstinuerunt; imò, jubente Rege, jumen-
tis pabulum subtractum, ipsáque etiam sacò
operta fuêre; neuon ita ingemuêre Ninivitæ,
ut Deus pietate motus veniam indulserit dolen-
tibus. Ergò Jonæ prophetia de illorum inte-
ritu conditionata duntaxat erat, nempe nisi
pœnitentiam agerent; quâ proinde peractâ,
placatus Deus illorum civitatis subversionem
suspendit, non tamen sustulit: nam denuò
ad scelera reversis misit Deus Nahum, qui illius
subversionem itèrùm post Jonam annuntia-
ret, atque tùm intentatum, et prædictum
à Jonâ Ninivitis exitium inflixit.

*c.4. Verùm ut ad Jonam revertamur, *afflictus
ipse, quòd vaticinium suum adversùs Ninivem
non impleri cerneret, sibi ipsi interitum pra-
catur; propterea à Deo corripitur, qui
injustam ipsius indignationem ex eo convin-
cit, quòd putaret, se rectè dolere ob arefactam
Lederam, sub cujus umbrâ resederat, et tamen
noluerit, ut Dominus Ninive civitati maxi-
mæ parceret, in quâ tamen erant plusquam
duodecim hominum millia, qui non peccaverant.

533. ~~520.~~ Ubi, et quando Jonas obierit, incer-
tum est. fortè in Judæam regressus, ibidem mor-
tem opetiit. Orientales in Mosul, quam Nini-
vem putant, ejus sepulchrum ostendunt. Tem-

pore S. Hieronymi in Geth Palestinæ ipsius tumulus visebatur.* 403.

* Prolog. in Jon.

De Michæâ, ejúsque Prophetiâ. 529, 534.

Michæas Marastites, seu è Moresâ prope Eleutheropolim in plagâ Meridionali Judæ, sextus inter Prophetas Minores recenseturr.

Quinquaginta annorum spatiô sub Regibus Juda Joathan, Achaz, et Ezechiâ, ab an. M. circiter 3245. ante Chr. 755. ante Cr. 759. quo Joathan regnum inivit, usque ad an. m. 3306. ante Chr. 694. ante Cr. 698. quo Ezechias regnum suum absolvit, oracula fudit.

Pseudo-Dorotheus tradit, Michæam sepultum fuisse in cemeteriô Eratim post autem Hebronæ, et in vicinis locis vitam. Suppar fuit Isaiæ, cujus phrases quandoque in suis Scriptis usurpat, ut videre est Isa. c. 2. v. 2. ad Michæa c. 4. v. 1. et Isai. c. 41. v. 15. ad Mich. c. 4. v. 13.

Ejus Prophetia septem capitibus concluditur. c. 1. Arguunas Samariæ, quam Salmanassar Rex Assyriorum captam evertit, recenset. Deinde oracula contra Judam profert, cujus regionem vastandam per Sennacherib sub Ezechiâ rege prædicit. Inde iterum contrâ Samariam invehitur, captivitatem Decem Tribuum minitatus, ac tandem regressum eorum vaticinatur. Cap. 2. Gravioribus posthæc verbis Principes Domûs Jacob, et Judices Domûs Israël, scilicet Optimates, ut arbitramur, Regni Juda, Judices, Magistratus, Sacerdotes, et Pseudo-Prophetas, castigat. C. 3. Exprobrat etiam eorum avaritiam, injustitiam, dolos; quibus iniquitatibus tandem factum iri ait, ut Jerusalem in ultimam desolationem, ac Templum ejus

530, 535.

in desertum adducatur. Hanc prophetiam sub Ezechiâ rege prolatam fuisse ex Jeremiae c. 26, v. 18. intelligimus, qui eâdem pronuntians, contra se decretum supplicium idcò evitavit, quòd similia ac Michaeas prædixisset. *Cæterùm pronuntiatis tristibus subinde ad lætiora convertitur Michaeas, regnum Messiæ, atque Ecclesiæ Christianæ exordium describit, à v. 1. usque ad 11.

C. 5. v. 1. 2. 3. et 4. Messiam orituum in Bethleem, imperiumque suum, quà latè patet orbis terarum, propagaturum prædicit. v. 5. et 6. Suscitaturum dicit Deum septem pastores, et octo primates, qui regionem Assur, et terram Nemrod vi occupaturi sunt; quod nos de Dario Hystaspis filio, ac septem conjuratis suis, qui sublato Mago Babyloniorum rege, Persarum imperium, deletâ Cyri familiâ, invaserunt, intelligendum arbitramur. v. 7. et seq. Res Judaeorum florentes post Darium, et Machabaeos describit; identidem tamen quædam admiscet ad Ecclesiam Christi unicè pertinentia. Duo postrema capita longam contra iniquitates Samariæ querelam continent. Tandem Babylonis eversionem, restitutionem urbium Israël, ditionem Israëlitarum longè latèque propagatam, réque eorum sub Dei auspiciis florentes exaggerat, verbis tamen adeò magnificis, ut Ecclesiæ Christianæ statum præ oculis potissimùm habuisse videatur.

536. Defuncti hujus Prophetæ corpus in Morasthi tumulatum tradit Hieronymus*, quod sepulchrum divinitùs revelatum Sebenno Eleutheropolis Episcopo, Theodosio magno imperante refert Sozomenus*, addens nomen loci illius esse Beretsatam, qui fortè locus idem est, ac Morasthis Decem stadiis ab Eleutheropoli distans.

* Ep. 27. seu Epitaph. Paulæ.

* lib. 7. hist. c. 29.

* Hoc capite 4to et sequentibus vaticinia de Christo et ejus Ecclesia continentur.

4/180

405.

Pseudo-Epiphanius refert*, hunc virum vitia Joram filii Achab liberius reprehendentem ejusdem Regis jussu in praeceps actum fuisse: at Auctor iste Ric duos Micheas confundit, hunc nempe, et illum, qui fuit filius Jerulæ Ephraimitæ, de quo 3. Reg. c. 20. v. 35. qui quamvis Propheta Domini fuerit, tamen ab eo, de quo nunc agimus, omninò diversus fuit.

* De vit. et mort. Prophet.

De Nahum, ejusque Prophetiâ. §37.

Nahum septimum inter duodecim Prophetas minores ortum duxisse vult Hieronymus ex urbe Elcesaï minimò Galilæa pagò, cujus reliquias adhuc sua ætate extaße aperit*. Sunt nihilominùs, qui putant, Elcesai ejus genitoris nomen fuisse, ipsius verò patriam Begabor trans Jordanem*.

* Comment. in Nahum.

* Epiph. de vit. et mort. Proph. et alii apud Hieronym. Item Chron. Paschal.

Olim ejus sepulchrum in quodam pagò, quem tunc temporis Bethogabrum, nunc Giblin appellant, prope Emaus videbatur. Chaldæus textus Nahum ex Beth-Kosi, seu Beth-Ketzi ortum dicit, cujus loci situs tamen, uti et Elcesaï propriè adhuc latet.

Ejus Prophetiam tria capita constituunt, quibus eximium Ninives vehementibus adeò simulque tristibus verbis vaticinatur, ut non ventura duntaxat nuntiare, sed visa referre videatur. §38.

De tempore, quo vaticinatus fuerit, non conveniunt Scriptores. Josephus putat*, eum annis 115. ante Ninives excidium illius urbis prædixisse eversionem, unde dicendum foret, Nahum, Achaz regnante floruisse. Judæi volunt*, eum sub Manasse rege vaticinatum fuisse. Clemens Alexandrinus lib. i. Strom. arbitratur, Nahum Ninives excidium prædixisse viventibus Daniele, et Eze- §39.

* Antiq. l. 9. c. 11.

* Seder olam apud Sixt. Senens. Grot. Vatab. Genet. Mont.

chiele Prophetis, adeoque captivitatis tempore. Sed verisimilius censet Hieronymus, cum tempore Ezechiæ Regis vaticinia sua edidisse post bellum Sennacherib in Ægypto, de quo bello Josephus agit apud Josephum*. Certè Nahum de expugnatione Noammon Urbis Ægypti apertè agit c. 3. v. 8. De Rabsacis audaciâ c. 2. v. 13. De clade Sennacherib, c. 2. v. 11. et c. 1. v. 9. Et ita hæc omnia recenset, ac si jam evenissent. Judæos adhuc in suis regionibus fuisse, dum hæc scribebat, suásque celebrasse solemnitates innuit. Captivitatis item, et dispersionis decem Tribuum meminit.

* Antiq. l. 10. c. 1.

Cùm autem Ninives excidium, de quo Nahum agit, illud esse non possit, quod longò priùs sub Sardanapalo contigit, necesse est, ut ipsius vaticinium de secundâ hujus urbis obsidione intelligatur, quâ eam Nabopolasar, et Astyages oppresserunt an. m. 3378. ante Chr. 622. ante Dr. 626. quod tempus respondet anno 16to regni Josiæ, quo regnante Ninivem eversam fuisse scribit S. Hieronymus*.

* Præfat. in Joan.

Tobias c. 14. v. 16. græcæ editionis Nabopolasaro Nabuchodonosoris, et Astyagi Asueri nomina tribuens Ninivem à Nabuchodonosore, et Asuerò captam memorat.

540

De Habacuc, ejúsque Prophetiâ.

Habacuc octavus inter Prophetas minores, è Tribu Simeonis, et urbe Bethzacar oriundus fuit, si Pseudo-Epiphanio, et Dorotheo fides adhibenda*.

* De vit. et mort. Prophet.

Cùm Nabuchodonosorem Jerosolymæ propinquantem cerneret, urbisque excidium prædiceret, Ostracinam in Arabia propè lacum Sirbonidem confugit, ubi et aliquamdiu vixit. Captâ verò à Chaldæis Jerosolymâ, hisque in patriam suam redeuntibus, Habacuc

407.

in Judaam reversus est, cùm interim reliqui Ju- ~~[illegible]~~. ~~411.~~
daei, qui Babylonem translati non fuerant, post
mortem Godoliæ in Ægyptum secesserant. Ægro-
rum suorum cultu occupatus cùm die quadam
Messoribus suis prandium deferret, vocem audi-
vit, quæ illum cibos ad Danielem in lacu Le-
onum Babylone degentem deferre jubebat:
remansit ipse, quòd neque Danielem, neque
Babylonem noset, ab Angelo capillis è terrâ
evectus cum cibis Babylonem ad Danielem
citissimè translatus est, oblatúque Danieli
in Leonum foveâ daribus, eâdem manu in
Judaam est restitutus; ubi et obiit, atque
duobus ante captivitatis finem annis tumu-
latus est an. M. 3455. ante Chr. 545. ante Cr.
549. Floruit igitur labente Regnô Juda,
eodémque, quo Jeremias, tempore.

Idem sepulchrum, teste Hieronymô, ~~536~~ 541.
in Urbe Bethzacar, sive Ceilâ, vel Ichelâ,
seu Gabbathâ olim visebatur; quæ quatuor
nomina fortè eundem locum designant, vel,
si distinctas urbes dicere malueris, profectò ibi
invicem proximæ fuerunt, et Eleutheropoli
vicinæ. Ipsius corpus, Theodosiô seniore
imperante, inventum dicit Sozomenus*. * lib. i. Hist. c. 29.

Ipsius Prophetiâ tribus capitibus conti- ~~539~~ 542.
netur. C. i. in regni Juda scelera conceptis
verbis invehitur, quorum terribilem ultionem
Chaldæorum armis à Dominô expetendam pra-
videt. Nabuchodonosoris item victorias, me-
tamorphosim, et mortem prædicit. Infor-
tunia etiam Chaldæis post Nabuchodonosoris
mortem superventura prænuntiat. C. 2. con-
silia omnia Joakim destruenda prænuntiat,
atque in Regem quendam /; fortè Regem Tyri/

~~412.~~ sanguine, et sceleribus constructa ædificia molientem, invehitur. Alium etiam Regem, accusat, in amicò suò ebrietatem provocantem ut ejus pudenda detegat; quòd de Rege Ægypti Sedeciam Regem Juda, ut secum à Nabuchodonosore desineret, solicitante intelligunt Interpretes. Hæc omnia versans animò Propheta c. 3. canticum canit, in quo misericordiam Dei, ejúsque potentiam mirè depradicat; necnon futuræ Incarnationis ipsius, et adventûs jam ante c. 2. v. 3. sibi promissi mysterium insinuare videtur.

Susanna, Beli, Draconis, et hæ ab Angelò in Babylonem deportationis historia in Danielis librò exoratæ eidem ab aliquibus adscribuntur, errore sumptò abinscriptione quorumdam exemplarium Græcorum, quæ sic sonat: Prophetia Abacum Sacerdotis Juda ex tribu Levi. Sed hunc Abacum à nostrò Habacuc abierum censent Salianus, in Annal. et Huëtius, in Demonst. Evang. propos. 4. in Habacuc.

543. ~~533.~~ De Sophoniâ, ejúsque Prophetiâ.

Sophonias inter minores Prophetas nonus, fuit filius Chusi, et nepos Godoliæ è Tribu Simeonis, et justa Epiphanium* ex monte Sarabata, cujus montis porrò Scriptura non meminit. Avos illius initiò libri recensitos pari cum illo Spiritu donatos fuisse Judæi autumarunt*. Ex illustri genere ortum aliqui crediderunt, sed temerè.

Ejus gestorum et obitûs historia nulla superest. Sub Josiâ, qui regnum inivit an. m. 3363. ante Chr. 637. ante Dr. 641. floruit*. Quantum autem ex rerum Judaicarum quoad mores statu, quem deplorat,

a * De Vit. et mort. Proph.

b * Apud Hieronym. in Sophon.

c * c. 1. v. 1.

conjecturâ obsequi valemus, illius prophetiæ 409.
tempus assignandum videtur ante 18vum Josiæ
regni annum, ex quo desiste corrigendis po-
pulorum sibi subditorum moribus operam dedit.* 4. Reg. c. 22.
Eversionem Ninives etiam prædixit, quæ v. 3. 10. et 12.
ante 16tum Josiæ annum poni non debet, si
cum Berosô 22. regni in Chaldeâ annos Nabo-
polossaro tribuere velimus.

Igitur hujus Propheta oracula tribus ca- 439.
pitibus contenta sub regni Josiæ initium con-
signanda videntur. C. 1. in omnes populos in-
vehitur nevi à Dominô jam destinatos, in Judam
nempe, et in eos, qui saliunt super limen, id
est, Philistæos juxta illud 1. Reg. c. 5. v. 5. Propter
hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon,
et omnes, qui ingrediuntur Templum ejus, su-
per limen Dagon. C. 2. In Moab, Am-
mon, Cus, Phœnices, et Assyrios vertitur,
Ninivem evertendam prædicit, cujus exci-
dium contigit, ut alibi jam dictum, an. m.
3378. ante Chr. 622. ante Cr. 626. C. 3. de-
nique primum minis, et verbis terret Jeroso-
lymam, deinde factâ spe solvendæ captivi-
tatis, atque statûs feliciori illam solatur.

De Aggeô, ejusque Prophetiâ. 544.

Aggæus denimus ex minoribus Prophetis
Babylone natus creditur, unde cum Zorobabe-
le rediit an. m. 3457. ante Chr. 543. ante
Cr. 547. Post reditum à captivitate
Judæis templi restaurationem, ut in eo sacri-
ficia offerri possent, solliciè inimicitibus*, * 1. Esd. c. 3. et seq.
hostium invidiâ, et iniquo Aulicorum ates
tantum apud Cyrum potuerant, ut datam
templi restaurandi facultatem revocaverint
alterô regni sui annô; idémque interdictum
Cambyses Cyri filius, susceptô imperiô, confir-

~~414. 542.~~ mavit. Duare quatuordecim annorum spatiò nihil aliud Templo additum est, sed tectum solummodò Templum propriè dictum, sive Sanctum, et Sanctuarium, et nonnulla portarum ante Sacerdotum atrium porticus. Post mortem verò Cambysis Dariò Hystaspis filiò regnante, an. m. videlicet 3483. ante Chr. 517. ante Dr. 521. Aggaeus à Deò excitatus est, ut Zorobabelem Principem Juda, et Jesum filium Josedech Pontificem ad Templi restitutionem diu intermissam exhortaretur.

~~cii.~~ Propheta hic igitur libri sui, qui duobus comprehenditur capitibus, c. i. eorum negligentiam redarguit, quòd magnificas domos annis sibi aedificarent, Domini Templum verò desertum, et sub ruinis suis sepultum relinquerent: mala proinde, quibus à Deò post reditum à suâ captivitate vexabantur, famemque et sterilitatem terrae inde ortum duere ajebat, quòd nempe Templi instaurationem minimè curarent. Aggaei monitis excitati Judaei annò secundò Darii, m. 3484. ante Chr. 516. ante Dr. 520. decimò sextò à reditu suò Babylonicò manus instaurando Templo admovêre. Cap. 2. Cuncta prospera, praecipuè autem Messiae adventum apertè praenuntiat,* p.

f * Prophetia de Christi adventu. 542

De hujus Prophetae morte nihil notum. Epiphanius* illum Jerosolymae inter Sacerdotes sepultum ait, ex quo illum ex Aaronis stirpe fuisse progenitum colligi potest. Nihil tamen Aggaeus ipse commemorat, quod hanc opinionem confirmet.

g * De vit. et mort. Prophetarum.

De Zachariâ, ejusque Prophetiâ.

545.

Zacharias Minorum Prophetarum undecimus, Barachiae filius, et repos Addonis*, è Tribu Levi Sacerdotali genere prognatus, jam

h * c. i. v. i.

grandis natu Babylone rediit cum Zorobabele, et anno 2.do Darii Hystaspis vaticinari coepit An. M. 3484. ante Chr. 516. ante Dr. 520. octavo anni Darii à Bacchate incipientis, et duobus mensibus post initum ab Aggaeo Propheta munus. Hic Propheta non senus ac Aggaeus, ut populus praetermissam ante ante annos aliquot Templi Structuram reassumeret, hortatus est. 411. ~~399. 415.~~

Quo loco aut tempore natus sit Zacharias, ignoratur. Alii Babylone captivitatis tempore; alii Jerosolymis ante translationem Tribuum Juda, et Benjamin, natum asserunt. Non tamen confundendus est cum illo Zacharia, de quo Christus ait*, eum occisum fuisse inter Templum et Altare, qua de re furius agemus infra Sect. 2. cum de Evangelio S. Matthaei disserimus. ~~14.~~ 8

Vaticinia sua 14. capitibus comprehensa Zacharias exorditur exhortans populum, ut convertatur, nec Patrum horum perfidiam imitetur, c. 1. à v. 1. usque ad 7. Post tres menses Angelum equo insidentem in medio Myrtheti ad fluvii cujusdam ripas vidit, cui plures Angeli omnem circa regionem pace frui, et ab incolis frequentari nuntiarunt: ex quo ille Dominum rogandi occasionem arripuit, ut Civitatum Juda misereretur, cui Dominus pacato sermone respondens postulata concessit. Tum Propheta quatuor cornua apparuerunt, et homines quatuor ea malleorum ictibus confracturi; iisque cornibus Principes, qui populum Israëliticum oppresserant, deprimendos intulerit, à v. 7. Cap. 2. videt virum funiculo dimetientem

* Matth. 23. v. 35.

Jerusalem, absque muro, pro incolarum multitudine, in posterum inhabitandam, p. quo Ecclesiam Christi militantem, et triumphantem non obscurè prefigurat.* Cap. 3.

* Prophetia de Ecclesia Christi.

Ait, adducturum Dominum Servum suum Orientem, seu Germen*: Messiam nempè Dei Servum: qui velut lapis pretiosus septem oculis præditus esset Laborandus. Cap. 4.

* Prophetia de venturo Messia.

Narrat se vidisse Candelabrum aureum septiceps inter duas olivas constitutum, ex quibus olivis oleum in candelabri lampades infundebatur. Cap. 5. Vidit volantem librum, in quo totius terræ judicium erat descriptum, et vas fœminam continens, super quam massa plumbea ducens vasis orificium claudebat: tum duæ alatæ mulieres vas illud inter cœlum et terram suspenderunt: mulier autem in vase inclusa, Babylonis iniquitatem; plumbum verò, ultionem Domini; et duæ alatæ mulieres, Medos et Persas imperium Babylonis destruturos significabant. Cap. 6. Vidit quatuor currus à medio duorum æreorum montium egredientes, qui Persas, Græcos, Ægyptios, et Syros in meridionales, et Septentrionales plagas his quoque temporibus Domini ultionem perlaturos designabant. Tum Zacharias ab Holdaò, Tobia et Idaia quamdam auri summam accepit, quo duas coronas, alteram Pontifici Jesu, alteram Orienti, seu Germini, nempè Zorobabeli, ut Messiæ figuram gerenti, composuit. Cap. 7. et 8. an. 4.to Darii M. 3486. ant. Chr. 514. ant. dr. 518. quartâ die noni mensis Zacharias à Sarasar, Rogommelec, et nonnullis aliis consultus, an jejunium ad quinquagesimum diem protrahendum esset, uti post Templi

gva 182

413.

exuvium fieri consueverat, respondit, je-
junia sponte ab illis electa fuisse, hac verò
à Dominô exigi, pietatem nempè, et justi-
tiam; lustrûs denique et jejunii dies ali-
quando in festos fore convertendos. Cap.
9. Minas in regionem Adrac, Syriam,
et Philistæos intentat. * Tum apertè satis * Prophetia de Christô.
Servatoris nostri, pauperis, asino insiden-
tis, et ejus pullo adventum prænuntiat.

Cap. 10.* Messiæ regnum, et ultionem * Altera de Christô Prophetia.
Domini in Israëlitarum persecutores idatam
exhibet. Cap. 11. De Romanorum
adversus Judæos bellô*; de violatô inter De- * sub Titô et Vespasianô.
um et populum suum fœdere; * de trigin- * v. 12. et 13. vaticinium de Christô Judæis à Juda proditore venditô pro triginta argenteis. Matth. 27. v. 9.
ta argenteis, pretiô scilicet, quo Dominus
appretiatus est ab eis. Cap. 12. An-
tiochi Epiphanis Bellum in Judæos, Macha-
bæorum victorias, lustrumque ob Juda
Machabæi mortem enarrat. Cap. 13.
à v. 1. florentem Judæorum ætatem —
ab interitu Antiochi Epiphanis usque ad Mes-
siæ mortem describit*. v. 7. et duobus * genus mortis Christi.
sequentibus infortunia Judæis superven-
tura post Christi necem prænuntiat.
Tandem c. 14.* Jerosolymam à Romanis ob- * Vaticinia eorum quæ post Christi necem Judæis accidere, et quæ à Josephô aliisque fuse memorantur.
sidendam, Christianæ Ecclesiæ magnitudi-
nem, gentium conversionem, vexationes,
quibus fideles exercebuntur, et animadver-
sionem in persecutores à Deô faciendam
prædicit.

Zacharias minorum Prophetarum 546.
prolixissimus est, et obscurissimus, inquit
D. Hieronymus*, comicum et præcipitem sty- * Præfat. in Zachar.
lum habet: De Messia cæteris clarius et
distinctius vaticinatus est.

Recentiores quidam eruditi hujus 547.
Prophetæ cap. 9. 10. et 11. Jeremiæ adsci-

~~418.~~ ~~[illegible]~~. bunt, coquòd Matth. c. 27. v. 9. et 10. versus 12. et 13. capitis ii Zacharia sub Jeremiæ nomine legantur, hæique Zachariæ capita 10. et 11. sint eodem seriei orationis. Verisimilius tamen Jeremiæ nomen fortuitò et librariorum obitantiâ pro Zacharionomine in textum Matthæi inreptit: proliverem enim in nominibus propriis esse lapsum sciunt, qui manutriptos Codices versare solent, sed hæc de re infra uberiùs*.

*Sect. 2. c. i. tit. de Evangelio S. Matthæi.

548. De Malachiâ, ejusque Prophetiâ.

Malachias duodecimus, et postremus inter Minores Prophetas numeratur. Illius gesta adeò latent, ut vel de nomine ipsius dubitetur, an videlicet Angelum Domini quemcunque, vel Nuntium, seu Prophetam significet. Ex Aggæo enim*, et ex ipsâ Malachiæ Prophetiâ* satis intelligimus, Prophetas tunc temporis nomine Malach-Jehovah, idest, Missus à Deo, non raro appellari consuevisse.

*c. iv. 13.

*c. 3. v. 1.

Septuaginta nomen Hebraeum Malachi reddunt Angelum suum, pro eo, quod Hebraeus habet, Angelum meum: multi etiam Patres, ut Clemens Alexandrinus, lib. i. Strom. Tertullianus, cont. Jud. c. i. et alii, Malachiam sub nomine Angeli Domini laudarunt. Quartus verò Esdræ liber, et Tertullianus utrumque et Malachiæ, et Angeli Domini nomen simul jungunt.

Malachiam Angelum fuisse humanis exuviis indutum Origenes temerè autumavit*. Veteres Hebraei, Chaldaeus Paraphrastes, S. Hieronymus Præfat. in Malachiam. Rupertus Abbas in eundem hunc Prophetam cum Esdrâ confundendum censent. Sed plerique Patres, et Interpretes id velut commentum repudiant; quamvis diffitendum non sit, Malachiam Esdræ coævum fuisse.

* Tract. 2. in Joan.

Prima Aa Pag 548.

Pseudo-Epiphanius, et Dorotheus*, Item Chronic. Alexand. Malachiam Sophâ, seu Suphâ, vel, ut alii legunt, Sochaoriundum in Tribu Zabulon tradunt; nomínque illi inditum ex morum suavitate ex miraculô Angeli, qui, postquam Prophéta peroraßet, spectabilem se populo præbens, ejus dicta confirmabat; de quo tamen miraculô nusquam vestigium aliquod, unde et satis ineptè hîc illud à Pseudo-Epiphaniô commemoratur. 415. ~~419.~~ 2 * De vit. et mort. Prophet. 549.

Mortuum tradunt vir juventam ingressum, atque justà Patres suos in Sophâ sepultum. Ejus obitus in Martyrologiô Romanô ad 14tum Januarii consignatur. 550. 2

Omnium Synagogæ Prophetarum novissimus est, id etiam indicare videtur libri ipsius locus, qui postremus est; id quoque, ~~ubi portabat~~, ut credamus, postulat ratio rerum tùm in Aggæi, et Zachariæ libris, tùm et in Malachiæ volumine traditarum. Illi enim Judæos ad Templum instauranda impellunt, hic, ut in Templô piè, ac reverenter se gerant, Sacerdotes adhortatur. Illorum ergo vaticinia ante restitutionem Templi edita sunt, hujus verò, post Templum reparatum. Floruit igitur an. M. circiter 3600. ante Chr. 400. ante Dr. 404. 551.

Liber ipsius 4. capitibus absolvitur. cùm suô tempore Sacerdotum et populi Judæ mores corruptissimi essent, gravioribus verbis Sacerdotes castigat, c. 1. v. 6. et seq. Item c. 2. v. 4. et seq. Populo nuptias cum alienigenis, c. 2. v. 2. In fratres suos inclementiam v. 10. et c. 3. v. 5. Bonum in divortium animum, c. 3. v. 13. In solvendis primitiis, 552.

~~550.~~ et decimis Levitiem, ibid. v. 10. exprobrat. Innuere etiam videtur foedus illud, quod Nehemias, Sacerdotes, et Optimates populi cum Dominô sanxerunt, c. 2. v. 4. et seq. De ortu S. Joannis Baptistæ sub nomine Eliæ, et duplici Servatoris nostri Jesu Christi adventu humilentissimè agit, c. 4.* Neque etiam Sacrificii Novæ Legis institutionem nec veterum Sacrificiorum abolitionem omittit, c. 1. v. 10.*

a * Prophetia de ortu S. Joannis Baptistæ et duplici adventu Jesu Christi.

b * Prophetia de Sacrificii novæ legis institutione, et veterum sacrificiorum abolitione.

Sectio Secunda.

De Libris Novi Testamenti.

553. Hujus Sectionis pro librorum Novô Testamentô contentorum varietate, ut pote, quorum, prout in Veteri Testamentô, alii sunt legales, alius historicus, moralesalii, et alius denique Prophetici; ~~et totidem~~ ~~[illegible] Prophetarum~~ etiam quatuor erunt capita. Sit igitur

~~553.~~

Caput Primum

De libris legalibus Novi Testamenti.

Novi Testamenti libri legales, in quibus nempe gratiæ lex à Christô promulgata exprimitur, quatuor tanquam Canonici, et divinæ autoritatis numerantur, prout parte 1. c. 1. hujus Tractatûs diximus: Scilicet Evangelia S. Matthæi, S. Marci, S. Lucæ, et S. Joannis.

554. Græcô nomine Evangelia nuncupantur, quod latinè redditum idem sonat, ac Bonus Nuntius; quippe qui vitæ, miraculorum, et rerum gestarum Jesu Christi Servatoris nostri historiam contineant, viâmque Salutis omnibus aperiant.

2da 186

De Evangeliô S. Matthæi.

555. S. Matthæus Apostolus et Evangelista filius Alphæi* Galilæâ oriundus, religione Judæus, professione, seu arte Publicanus,

c * Marc. c. 2. v. 14. Luc. c. 5. v. 27.

idest, vectigalium exactor, apud alios Evangelistas Levi appellatur, quod Hebraeum ipsius nomen erat; ipse tamen se perpetuò Matthaeum appellat, quod nomen in exercitio numeris hui, vectigalia videlicet exigendi, fortè obtinebat; et sibi neutiquam indulgens, Publicanum se prodere non veretur, quò acceptam à Christo Apostolatus gratiam magis commendet. 417.

Dum Capharnaum versatus telonium suum ubi proximum ad mare Tiberiadis collocaverat; cùmque Jesus illâ pertransiset*, virum ad sequendum se invitavit; hic nihil cunctatus, illicò relictis omnibus, et nequidem rerum suarum ratione initâ, vocantem secutus est*.

* Matth. c. 9.

Evangelium suum quod 28. constat capitibus, Scripsit Matthaeus tunc, cùm discessum suum ex Judaeâ meditabatur, ut in eam, quae sibi contigerat, regionem, Christum praedicaturus, contenderet; cùm enim Palestinae fideles illum exorassent, ut traditam ipsis doctrinam Scriptò colligeret, orantibus ipse acquievit*.

* Hier. et Chrysost. in Matth. c. 9. 556.

Vernaculò Hebraeorum sermone, qui Syrus erat, librum suum exaravit, opusque adortus est an. Aerae Christianae 41. octavò post Christi resurrectionem, prout vetera Ms. graeca ferè omnia ad calcem ejusdem Evangelii notatum habent; idque testantur Veteres Patres, Papias Discipulus Christi coetaneus, apud Euseb. lib. 3. Hist. c. 39. S. Irenaeus, apud eundem, lib. 5. c. 8. Origenes, apud eundem, lib. 6. c. 25. qui et illud eo sermone Scriptum se vidisse testantur.

* Euseb. l. 3. Hist. c. 24. Chrysost. Hom. 1. in Matth. Hieronym. de vir. Illust. 557.

Autor Operis imperfecti in Matthæum; cui Cornelius à Lapide, et Baronius consentiunt, occasionem scribendi hujus Evangelii primo post S. Stephani necem fidelium dispersioni tribuit, circa tertium nempe seu quartum à resurrectione Domini annum.

S. Irenæus verò enaratium vult eo tempore, quo Sancti Petrus, et Paulus Ecclesiæ Romanæ fundamenta jacebant, circa an. Christi seu Æræ 61. Verisimilius tamen S. Matthæus opus suum ante S. Marcum, qui illud in compendium redegit circa an. Christi seu Æræ 43. absolverat, unde ante an. Æræ seu Christi 43. Evangelium illud extitisse oportuit.

558. Nostrâ ætate Hebraïcum istud S. Matthæi Evangelium nusquam reperitur; ea enim exemplaria, quæ cum antibus Sebastianó Münsteró, et du Tillet edita fuerunt, nullam obtinent auctoritatem, ut pote recentiora, et ex Latinó sive Græcó in Hebraïcum translata, prout notant Grotius, comment. in Matth. Huetius, Declarà interpret. §. 12. et Millius, Prolog. 1236.

Ratio autem cur Hebraïcum, seu Chaldaïcum, vel, si mavis, Syriacum, hoc enim temporis illius Hebraïcum erat idioma, exemplar istud exuderit, hæc esse videtur, quod Judæa Ecclesiæ, pro quibus Statim Scriptum fuit, non diu substiterint.

Non desunt tamen, qui credant, Evangelium Syriacum S. Matthæi in Polyglottis impressum esse ipsissimum Sancti hujus Evangelistæ originale: id tamen eruditi perspicaciores non probant, quod hæc Syriaca Evangelii hujus editio ipsi videatur non esse nisi versio aliqua ex Græcó duntaxat adornata. vid. Calmet. Præfat. in Novum Testamentum.

Versio Græca, quæ nostrâ ætate superest, et Autographilorû habetur, jam ab Apostolorum tempore ignoti Autoris est opus. Ex eâ Latinam produxisse omnes consentiunt, quamvis de illius Autore, tempore, et occasione scribendi nihil certi statui possit. 419.

Sunt etiam aliqui Protestantes post Erasmum, qui autumant, S. Matthæum Evangelium suum non Hebraïce duntaxat, sed Græcè scripsisse; et quamvis universa antiquitas eis repugnet, nihilominùs opinionem suam sequentibus rationibus confirmare adaborant: 1°. Reperiuntur plura vocabula hebræa, quæ in hoc Evangeliô aliâ linguâ exponuntur, si ergo S. Matthæus Evangelium suum hebraïcè scripsit, quid ipsi opuserat, ut ea alis idiomatè explicaret, ut sunt inter alia hæc: Eli Eli Lama Sabactani? Nec hujusmodi expositiones ipsius Interpreti adscribi debere videntur, nam iste potiùs totum Evangelium vertere debuisset, et non tantùm quædam vocabula seligere. 559

2°. Stylus Evangelii hujus est similis stylô Evangelii S. Marci; igitur, cùm certum sit S. Marcum Evangelium suum græcè scripsisse, etiam certum videtur, Matthæum eodem quoque sermone suum exarasse. 560.

3°. Plura testimonia ex Veteri Testamentô adduxit S. Matthæus juxtâ Septuaginta Interpretum Græcam versionem. Ergo etiam Græcè Evangelium suum scripsit; aliàs enim, si scripsisset pro Hebræis scripturam Hebraïcam legentibus, hæc testimonia retulisset, prout in Hebræô sunt exarata.

420.

4°. Origenis ætate Hebraicum Matthæi Evangelium nullam amplius autoritatem obtinebat*; imò Eusebius idud inter supposititia Scripta reponit. atutique majorem autoritatem eidem tribuissent, si idud autographum esse censuissent.

* Origen. in Matth. hom. 8.

561. Verùm hæ rationes non tanti ponderis esse nobis videntur, ut credamus S. Matthæum non hebraïcè, sed græcè dictavit Evangelium suum scripsisse. ad 1mam ergo Resp. hujusmodi hebraorum verborum in Evangeliô hoc occurrentes interpretationes esse Interpreti adscribendas; nam apud sacrorum librorum Interpretes usu receptum est, ut in suis versionibus quædam hebraïca vocabula, quæ majorem habere energiam arbitrantur, et quæ accuratè semper in aliud idioma transferri non possunt, relinquant; quod facilè ostendi potest ex Septuaginta, aliisque veteribus S. Scripturæ Interpretibus.

Ad 2dam Resp. mirum non esse, quòd stylus Evangelistarum idem esse videatur, quamvis diversis linguis scripserint; quia, cùm essent Judæi, qui inter eos græcè scripserunt, plerumque lingua hebraïca genium conservarunt, quod exemplô S. Luca probatur, qui quamvis Evangelium suum, et Acta Apostolorum elegantiori græcô sermone, quam cæteri Evangelistæ, exaravit, tamen plures adhibet merè hebraïcas dictiones.

Ad 3tiam falsum est, S. Matthæum plura testimonia ex veteri Testamentô adducere juxtâ græcam Septuaginta

Interpretum versionem; nam ex decem 421.
libris Veteris Testamenti ab ipso adductis
septem magis ad Hebraeum, quàm ad Sep-
tuaginta Interpretum versionem graecam
accedere videntur, tres tantùm cum Sep-
tuaginta consonant, sed idèo sanè, quia
ibi Septuaginta ab Hebraeo non discre-
pant. Deindè id fieri potuit abyssi-
nus Graeco Interprete, ut qui Evangelium
istud pro Graecis transtulerit, hi verò Scrip-
turam Graecè exaratam juxta Septua-
ginta legebant, adeoque Veteris Testa-
menti loca potiùs secundùm versionem
illam, quàm juxtà hebraeum textum, quem
ipsi non intelligebant, citare debuerit.

Ad 4tam denique Resp. Hi, et
alii Patribus non de uno eodemque
Evangeliò semper sermo fuit; aliud
enim circumferebatur hebraicum Evan-
gelium sub Matthaei nomine, sed ab
haereticis corruptum; istud porrò velut
apocryphum rejiciebant Veteres, non
verò primum, quod velut authenticum
suscipiebant. Imò ipsum fortè Ori-
ginale ab Ebionitis, qui, prout supra 2pta
part. 1. c. 6. annotavimus, solo Matthaei 188.
Evangeliò utebantur, vitiatum, et
corruptum paulatim negligi coepit, adeò
ut tandem interiverit; cùm interim
graecum exemplar, quod integrum sem-
per servatum est, auctoritatem suam
ratam sanctámque retineret, atque
ab omnibus susciperetur.

562. In suô Evangeliô scribendô id S. Matthæum præ oculis habuisse, ait S. Augustinus*, ut nempè aperiret genus generalè Christi; ejusque vitam inter homines autam posteritati traderet. Nec sanè alius Evangelista, inquit S. Ambrosius*, solertius gesta Jesu Christi, atque vitæ dirigendæ, morumque regulas ad Jesu Christi mentem describit.

g * De consensu Evangel.

h * Præf. in Luc.

S. Petrus Damiani autumat*, S. Matthæum eundem obtinuisse locum apud Evangelistas, quem Moyses apud Veteris Testamenti Scriptores; ambo enim in scribendo primas obtinent, hic in Veteri, ille in Novô Testamentô.

i * Serm. de S. Matth.

Eo tempore, quo se ad scribendum contulit S. Matthæus, quæstiô inter Judæos agitabatur, utrum Christus Messias esset; cui veritati asserendæ plura contulit, tùm prodigia ipsius Christi atque Mariæ matris ipsius virginitatem referens, tùm venisse illum ostendens, non ut Legem solveret, aut destrueret, sed ut eam perficeret, atque compleret; ejus denique miracula non Dæmoni, neque homini esse adscribenda, sed divinæ virtuti, atque ipsius Christi missioni.

563. Si Evangelium istud cum cæteris conferatur, rerum gestarum series aliter à Matthæô, ac apud alios Evangelistas dirigitur a. c. 4. v. 22. usque ad c. 14. v. 13. quæ discrepantia Chronologos, et Interpretes mirè torquet. Aliis enim videtur Matthæus temporum ordinem

accuratè servasse; alii verò præpostèrè ab 423.
illo institutam esse narrationem censent;
facilius enim unus ordinem investisse,
quàm tres, creditur. Hujus rei fidem
facere videtur, quòd Marcus, qui Matth-
æum sibi ducem in scribendo statuerat,
in eâ tantùm re ab ipso discedat. Sunt
tamen, qui fortuitò, sunt etiam, qui
consultò S. Marcum à S. Matthæô recessisse
autumant. Quidquid eâ de re statua-
tur, illud profectò certum est, nihil Evan-
gelii veritati eam discrepantiam nocere,
cùm Auctores Sacri, quid potissimùm scribe-
rent, non quo ordine scriberent, sedulò ob-
servaverint.

S. Matthæum Berridem, sive Bartho- 564.
rum regionem, vel Caramaniam eâ ætate
Parthis subjectam prædicationibus, et san-
guine suô excoluisse tradunt Paulinus, in
carmi. 26. Ambrosius, in Gal. 46.
Hieronymus, de Vir. Illust. et alii. Ruf-
finus lib. 1. c. 19. Socrates, lib. 10. Hist.
Pseudo-Abdias, aliique plures Æthyopi-
am laboribus, et martyriô eum consecrasse
volunt.

Heracleon Valentini Discipulus
apud Clementem Alexandrinum lib. 4. Strom.
testatur, hunc Apostolum morbô, non au-
tem ferô sanguine, è vitâ excessisse; quod
etiam Menologium Basilii refert, et
nonnulli Græcorum sensisse videntur.
Dudum tamen Græci illumque confum-
tum fuisse asserunt. Addo, et alii La-
tini ~~vindicatoribus~~ Martyrium eum con-
summasse asserunt. Festum illius nos-

trâ ætate apud nos Latinos 21. Septembris celebratur.

565 Hujus Apostoli nomine Apocrypha quædam inscribuntur, ut Liber infantiæ Jesu Christi Decreto Gelasii Papæ reprobatus; et alia quædam ab Ebionitis supposita, eâ plane fraude, quâ ipsius hebraïcum Evangelium interpolarunt, et ad hæc prava dogmata accommodarunt, prout testatur Epiphanius, Hæres. 30. c. 23.

5. 169

Solvuntur Objectiones, contra auctoritatem hujus S. Matthæi Evangelii.

566. Ob. 1.o Hujus Evangelii c. 1. v. 23. tanquam ex Isaia c. 7. v. 14. transcripta referuntur hæc verba: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium &c. at vox hebræa Alma quæ ipsis est Isaiæ cit. loc. non significat Virginem, sed filiam, sive hæc Virgo sit, vel ne.

Resp. ~~Matthæus ex Versione~~ Iste S. Hieronymo*, Alma non solùm puella, vel virgo, sed etiam Virgo abscondita, et secreta dicitur, quæ nunquam virorum patuit aspectibus, sed magnâ parentum diligentiâ custodita est. Linguâ quoque punicâ, quæ de Hebræorum fontibus emanare dicitur, Virgo propriè Alma appellatur. Unde Matthæi Interpres, ex versione Septuaginta communi consensu à Judæis comprobatâ hunc Isaiæ textum transcripsit, ubi vox hebræa Alma Virgo interpretatur.

* Comment. in Isai. lib. 3. c. 7.

567. Ob. 2.do Quæ ibid. c. 2. v. 1. et seq. narrantur*, falsa, et conficta vel ex eo videntur, quod hujus historiæ nec alii tres Evangelistæ, nec Josephus ullam mentionem faciant.

* De Magorum ab Oriente adventu, ut Jesum recens natum adorarent.

Resp. Quamvis cæteri Evangelistæ

hujus historiæ non meminerint, non tamen se- 425.
quitur eam minùs esse veram, aliàs etiam
pari ratione dicetur, historiam de resurrectio-
ne Lazari à mortuis esse falsam, quòd solus
Joannes eam referat. Silentium quoque
Josephi nihil ibi veritati officit, ut qui plura
alia silentio prætereat, quæ tamen non minus
vera sunt.

Ob. 3tio Jb. c. 6. adducitur textus 568.
iste: Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam
minima es in principibus Juda &c. velut à
Michæâ Prophetâ transcriptus, cùm hic ta-
men longè aliter loquatur, ait enim c. 5.
v. 2. Et tu Bethleem Ephrata parvulus es
in millibus Juda &c.

Resp. Hic Evangelistam ea, quæ Prin-
cipes Sacerdotum et Scribæ Herodi intero-
ganti, et scisitanti, ubi Christus nasceretur,
responderunt, simpliciter referre, quòd si
ergò quiddam falsum et Michææ prophe-
tiæ haud satis conveniens eo textu continetur,
id non Matthæo, sed Principibus Sacerdotum
et Scribis adscribendum erit: verùm hi po-
tiùs sensum Prophetæ, quàm verba sectati
sunt, prout apertum est, quod sufficit ad
hujus textûs veritatem; ~~posset~~ ponunt
quidem loco Ephrata, quod habet Michæas,
terra Juda, quia licèt Ephrata idem sit ac
Bethleem, tamen quia nomen idud tum
jam obsoleverat, notius adhibuerunt. Le-
gerunt etiam apud eundem Prophetam
loco Alphe quod mille significat, Aluphe
quod Principes indicat. Denique aligu-
lam Michææ prophetiam legunt per modum
interrogationis; verùm quidquid sit, manet
tamen semper idem sensus; Michæas enim

426.
~~430.~~ ~~Sempero~~ vult dicere: Et tu Bethleem quidem
sis numero parvula in milibus Juda, magna
tamen es dignitate, nam ex te magnus Dux
orietur.

569. Ob. 4.to Ibid. v. 25. Messiæ adaptatur
illud Osee c. ii. v. i. Ex Ægypto vocavi filium
meum. At certum est, hæc de populo Israe-
litico à Propheta fuisse pronuntiata.

Resp. Sensu litterali hæc quidem de
populo Israelitico intelligi; at quia populus
ite typus fuit Christi in Ægypto exulantis,
hinc Sensu mystico et spirituali, et secun-
dum communem Prophetarum morem ab
ipso Osee præcipuè intento, rectè ab Evangelis-
ta Christo ipsi adaptatur hic Propheta
textus.

570 Ob. 5.to Ib. v. 17. cæsis ab Herode
infantibus adaptatur illud Jeremiæ, c. 31.
v. 15. Vox in Ramâ audita est, ploratus, et
ululatus magnus, Rachel plorans filios suos,
et noluit consolari, quia non sunt. At cer-
tum est, hunc locum intelligi debere de ab-
ductione duarum Tribuum Judæ, et Ben-
jamin.

Resp. ut ad priorem textum, hoc
nempe in sensu obvio intelligi quidem de
duabus hisce Tribubus, at in Spirituali et
à Propheta præcipuè intento, de infantibus
ab Herode interfectis.

571 Ob. 6.to Ib. v. 23. Dicitur Jesus ha-
bitasse in civitate Nazareth: ut adim-
pleretur, quod dictum est per Prophetas:
quoniam Nazaræus vocabitur. atqui
id nusquam apud Prophetas legitur.

Resp. 1.o cum S. Hieronymo, lib. i.
comment. in Matth. c. 2. quod, cum plura-
liter Prophetas hic vocet Matthæus, ostende-
re velit, se non verba de Scripturis sumpsis-
se, sed Sensum; Nazaræus Sanctus inter-

pretatur, Sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat. Usus autem est verbo Nazareus ad faciendam allusionem ad civitatem Nazareth, secundùm morem Judæorum, ad quos, et pro quibus Scribebat qui in suis commentariis allegoricis Medrascim apud ipsos dictis frequentes hujusmodi ad verba, seu nomina alludentes interpretationes solent adhibere. 429.

Resp. 2do cum eodem S. Hieronymo, loc. cit. Id iisdem verbis juxta hebraïcam veritatem in Isaia c. ii. v. i. contineri, quando nempe ait: Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Igitur Evangelista Christum nominando Nazareum allusionem facit ad vocem Hebræam Netser, quæ florem significat, sub quo nomine omnium tam Judæorum, quàm Christianorum sententiâ intelligitur Messias.

Ob. 7mo Jb. c. 3. v. 4. de Joanne dicitur: Esca autem ejus erat locusta, et mel sylvestre. Et tamen posteà c. ii. v. 18. de eodem Joanne legitur, Venit Joannes neque manducans, neque bibens. 572.

Resp. Cibum et potum Joannis ita parcum, vilem, et alienum fuisse nedum à lautioribus, sed etiam vulgaribus Judæorum mensis, ut pro nullo reputatus sit, eo ferè modo, quo parum pro nihilo reputatur.

Ob. 8vo Jb. c. 10. v. 5. legitur, Christum Apostolis suis prohibuisse, ne in viam gentium abirent, et in civitates Samaritanorum introirent. Et tamen c. 28. v. 19. eisdem ab ipso dictum legitur, Euntes docete omnes gentes. 573.

Resp. Hæc non pro eodem, sed pro

~~432~~ ~~410~~. diversis temporibus à Christô fuisse prolata. Apostolos quippe hos Christus misit primò ad prædicandum Evangelium, ut officium, ad quod vocati erant, obire inciperent, et quasi tyrocinium subiisso ponerent; quod deinde Sacerdotes, et Episcopi consecrati, necnon Spiritu Sanctô roborati post mortem, et ascensionem Christi plenissimè prosequerentur, et consummarent: ut verò jam initium à faciliori palæstrâ ducant, vetat eis, ne Judæa fines transiliant, atque ad Gentiles se conferant: ubi verò planè roborati fuerunt, et expeti, nempe post resurrectionem suam, eis præcipit, ut irent ad docendum omnes Gentes.

8

574. Ob. 9.mò Jb. v. 9. Christus prohibet Discipulis suis, ne virgam quidem deferant, et habeant. Et tamen Marc. c. 6. v. 8. præcipit eis, ne quid tollant in viâ nisi virgam.

Resp. Priori loco Christus præcipit Apostolis, ut iturri ad annuntiandum Evangelium nulla vitæ necessaria secum deferant; imò nec virgam, idest, minimas etiam res ibi per virgam intellectas; cùm æquum esset, ut qui Evangelium annuntiarent, etiam de Evangelio viverent. At Marcus, per virgam, quam eos de viâ tollere jubet, intelligit jus duntaxat, et potestatem Evangelium annuntiandi, et de Evangeliô vivendi.

575. Ob. 10.mò Jb. c. 23. v. 35. Zacharias ille, qui inter Templum, et Altare occisus memoratur 2. Paralip. c. 24. dicitur filius Barachiæ, cùm tamen fuerit filius Jojadæ.

7. 191

Resp. 1.ò Zachariam dici filium Barachiæ apud Matthæum, idest, Benedicti Domini, quia Jojadas pater ejus Sacerdos fuit piissimus, adeoque verè Benedictus Domini.

Resp. 2°. Apud Matthæum hîc irrepsisse librarii errorem, qui loco Jojadæ, Barachiæ nomen posuit; nam in Evangeliô Matthæi quo utuntur Nazarei, expressè legitur filius Jojadæ, prout testatur Hieronymus, in c. 23. Matth.

Resp. 3°. à Dominô Christô hîc fortè designatum fuisse Zachariam filium Baruch, cujus mentionem fecit Josephus de Bello lib. 4. c. 19. in Græcô, seu lib. 5. c. 1. in Latinô; atque interfectus dicitur an. Æræ Christ. 69. ante eversionem Urbis et Templi 7mô. Ratio est 1°. Quia Zacharias Barachiæ filius ut justorum postremus à Judæis interfectus immò à Christô videtur sicut Abel primus sanctorum violentâ morte fuit sublatus. 2°. Zacharias Jojadæ filius lapidibus obrutus est in atrio Domus Domini; Zacharias verò Barachiæ filius inter templum et altare. 3°. Quamquam moris fuerit apud Hebræos duobus nominibus nuncupari, quorum exempla passim in Scripturis occurrunt, verisimile non videtur, Christum pro Jojadâ nomine satis cognitô, Barachiæ nomen minimè notum substituere voluisse. Et quamvis primùm post ascensionem Christi esset occidendus, Dominus tamen præteritum pro futurô usurpans, prophetica phrasi locutus est. Denique quamvis nec Josephus nec antiquus alius Scriptor Zachariam hunc inter Christianos accenserit, tamen nemo contrarium unquam asseruit. De S. Jacobô Minore, Anani scelere necatô ita agit Josephus, tanquam de virô Judæô, nam tunc Christiani habebantur ceu secta quædam ex Judæis. Quare nihil vetat quin Zachariam filium Baruch Christianum professum fuisse teneamus, eundemque hîc Christum designasse reputemus sp.

430.
~~434.~~ ~~[illegible]~~.
570.

Ob. 11mo Ibid. c. 26. v. 29. ait Christus, Non bibam amodò de hoc germine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. Et tamen Act. c. 10. v. 41. testatur S. Petrus, se et alios post illius resurrectionem cum eo manducasse, et bibisse.

Resp. Quòd etsi Christus post resurrectionem suam cum Apostolis suis manducaverit, et biberit vinum naturale, seu de germine vitis, non tamen consuetò et ordinariò modò, nec ad serviendum naturæ necessitati, quo solò modò ante passionem negaverat se deinceps cum illis comesturum, et bibiturum, sed tantùm ad majus suæ veræ resurrectionis indicium. q

D. B

q Melius respondetur, Hæc senum figuratò et mysticè Christum sibi locutum, atque intelligenda esse, prout vel ex ipso textu patet, neque enim in regnò cœlesti bibitur naturale vinum. Ergò lætitiam hic beatorum æternam Christus intelligit p.

Ob. 12mo Ib. c. 27. v. 9. dicitur: Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: et acceperunt triginta argenteos p. Cùm tamen hæc prophetia sit apud Zachariam, c. 11. v. 12.

577.

Resp. 1o Librariorum inuriâ nomen Jeremiæ hic irrepsisse; enimverò Matthæus non solet exprimere nomina Prophetarum, quos citat; Et verò textus Syriacus, et nonnulli codices Latini, teste S. Augustinò, quorum unum adhuc Romæ in Bibliothecâ Patrum Eremitarum S. Augustini asservatur, non habent Jeremiam, sed Zachariam.

Resp. 2o cum Origene, Tertulliano, Eusebiò, p. hæc eadem omnia in Jeremiâ olim extitisse, ut in apocryphò quodam exemplari se vidisse testatur S. Hieronymus, sed ea interidisse, vel ab ipsis Judæis erasa fuisse.

23
46
A

8 · 192

De S. Marco, et ejus Evangelio. 431.

S. Marcus Evangelista, junta Papiam, 578.
apud Euseb. lib. 2. Hist. c. 24. et S. Ironæum, apud eundem lib. 13. c. 1. aliosque Veteres, et recentiores S. Petri Discipulus, et Interpres, quem Origenes, apud Eusebium lib. 6. Hist. c. 26. Hieronymus, in Catalog. Theophilus, in Marc. ab eodem S. Petro spectatum credunt, cùm idum appellat filium suum*, fortasse, quòd idum Christo genuerit. * 1. Pet. c. 5. v. 13.

Inter Septuaginta Discipulos numeratus, antequam Apostolo Petro socium se jungeret, vulgò creditur. Verùm nonnulli ex Patribus addunt, eum unum ex illis fuisse, qui cum à Christo verba hæc audissent: Nisi manducaveritis meam carnem, et biberitis meum sanguinem &c.* iis offensi recesserunt; at S. Petri adhortatione ad frugem idum rediisse, ujus in fide æmulum, et in itineribus comitem fidelissimum se probuerit; Romam unacum ipso appulsum, ibidem Evangelium suum scripsisse fratrum sollicitatione, qui eum rogaverant, ut ea conscriberet, quæ à S. Petro audiverat: ita Origenes, de rectâ in Deum fide. Dorotheus, in Synops: Procopius Diaconus, Apud Bolland. 25. April. et post ipsos S. Hieronymus, de Script. Eccles. in Marco. * Joan. c. 6. v. 55.

In idem recidunt, quæ Pseudo-Athanasius in Synopsi ait: Evangelium scilicet secundùm Marcum prædicatum fuisse Romæ ab Apostolo Petro, et promulgatum à B. Apostolo Marco, qui etiam idum Alexandriæ, in Ægypto, in Pentapoli, et Lybiâ prædicaverit. Verbò, universa antiquitas cum Papiâ tenuit, Evangelium S. Marci nonnisi Synopsim et epitomen esse prædicationum S. Petri, ujus ipse Interpres erat. S. Ire-

~~436.~~ nans tamen vult, S. Marcum Evangelium suum nonnisi post mortem, vel saltem ex Româ discessum SS. Petri, et Pauli scripsisse.

* adver. haer. l. 3. c. 1.
* Homil. in Matth.

S. Chrysostomus verò ait*, S. Marcum suum Evangelium, non Romæ duntaxat, sed in Ægyptô scripsisse. Hæ diversæ de eâdem re sententiæ produnt, nihil certi definiri posse circâ locum, et tempus, quo Evangelium istud exaratum fuit. Attamen Eusebius, Eutymius, Baronius, et MS. Codex Bibliothecæ Regiæ Parisiensis num. 2871. docent, Marcum Evangelium suum scripsisse post annum decimum à Passione, seu ascensione Domini, et paulò antequam Alexandriam profiscisceretur.

579 Quo verò idiomate ab ipso scriptum fuerit non convenit inter Scriptores; alii enim græcô, alii Latinô exaratum volunt. Veterum et recentiorum turba Græcum asserit, græcúsque textus ab ipsi originalis habetur.

At Baronius, post Auctorem vitæ Summorum Pontificum, à Marcô latinè scriptum fuisse Evangelium contendit his potissimum rationibus: 1.º quòd Syriaca hujus Evangelii versio testetur, Marcum Evangelium suum Romæ Latinô idiomate prædicasse, quam sequuntur Persica, et Arabica. 2.º Quòd, cùm Evangelium suum Romæ scripserit, illud omnino patriô sermone exarare potuerit, aut debuerit, ut qui à fidelibus hujus urbis latinè loquentibus ad id rogatus fuerit. 3.º Quòd S. Petrus Romæ Evangelium suum Romanorum linguâ prædicaverit; non ergò videtur, quòd Marcus S. Petri Interpres hujus Apostoli prædicationem aliô, quàm Romanô sermone codigere, et in chartam conjicere potuerit. 4.to Si verò dicatur Petrus græcè,

Q. B. 193

433.

aut Hebraïce fuisse loquutus, illius verba Marcus nonnisi latinè potuit interpretari. 5.°

Quòd Græcus hujus Evangelii textus multa verba contineat, quæ nullatenus græca sunt, sed latina, atque græcizata, si ita loqui fas est, fuerunt. Undè patet, originale ipsius exemplar Latinum esse, quod deinde in Græcum translatum fuit.

Sed his rationibus responderi potest; 580.
et quidem ad 1.am Nulla ratio habenda est testimonii Versionis Syriacæ, ut et Arabicæ, necnon Persicæ, ut quæ ad Latinam confecta fuerint. Notum est, hujusmodi inscriptiones, quæ in principio, et fine librorum Sacrorum, præsertim in versionibus Orientalibus leguntur, exiguam, imò nullam habere autoritatem; enaverunt Syrii, quòd, æquè ac Baronius, vestigiis Autoris vitæ Pontificum Romanorum insistentes, arbitrati sint, S. Marcum Romæ Evangelium suum nonnisi patrio Romanorum sermone scribere potuisse.

Ad 2. Certum est, quòd Judæi, qui tum per totum Romanum Imperium dispersi erant, imò plerique, qui tum Romæ erant, Græcam linguam calluerint, è contrà verò paucissimi duntaxat eorum Latinam scverint. Judæi, inquit Grotius*, qui Romæ agebant, plerique Latini sermonis ignari, longâ per Asiam, et Græciam habitatione Græcam linguam didicerant, et Romanorum vix quisquam erat non græcè intelligens.

* Annot. in tit. Marci.

Ad 3. et 4. resp. S. Petrum Judæis Romanis linguâ, quam intelligebant, locutum fuisse, et S. Marcum eâdem linguâ ad preces eorum neo=conversorum Judæorum hujus Apostoli collectam prædicationem conscripsisse; hæc autem erat Græca.

Ad 5. respondetur 1.º quòd, si hæc ratio aliquid vineret, tum per eam probaretur, cæteros Evangelistas etiam latinè sua Evangelia scripsisse, eo quòd in iis etiam similes dictiones, id est, verba Latina ad græcum transformata, seu græcisata, ut ajunt, reperiantur. Præterea probaretur, quòd Syriaca et Arabica Sacrorum librorum versiones initiò græcè fuerint exarata, et postmodùm è græcò in Syriacum, et Arabicum translata, eo quòd in istis versionibus reperiantur plura græca vocabula, quæ ~~[illegible]~~ Syriacisata, et Arabisata fuerint.

Resp. 2.º mirum non esse, quòd S. Marcus Romæ græcò sermone scribens, plura latina vocabula græcisata in suâ scriptione adhibuerit. Mos enim omnium nationum peregrinam linguam loquentium, ut proprii sermonis sui vocabula ei admisceant. Sic ergò S. Marcus græcam linguam locutus est, prout Romæ, atque etiam in multis aliis Romani Imperii civitatibus in usu erat, ubi græci plura Romana vocabula adoptaverant, atque in suam linguam transtulerant.

581. Verùm hæ responsiones omnes hoc unicò concedi videntur, quòd Venetus folia quædam Originalis Evangelii S. Marci ~~[illegible]~~ ipsiusque manu exarati tentus asservari dicantur. Bernardus Montfaucon celebris Congregationis S. Mauri in Gallia Benedictinus Scriptor, hujus Scripti meminit in suò Itinere Italicò c. 4. atque latinè exaratum asserit, tantòque vetustatis opus nunquam vidisse se testatur, quippe quod senio ita obliteratum sit, ut unius litteræ linea vix discernatur. Certè Carolus IV. Imperator annò Imperii sui 9.no asserit, se propriis oculis vidisse in Ecclesiâ Aqui-

„Evangelium
leiensi „latinis litteris in septem quaternis pro- 435.
priâ ejusdem S. Evangelistæ manu conscriptum*. ~~433~~ ~~434~~.
Quæ si ita sint, his hæc dirempta momentò *Apud Bolland. ad 25. April. pag. 345.
~~videtur~~ videtur. Sed quis nobis fidem faciat, hoc S. Marci exemplare ipsius esse autographum, atque propriâ ipsius manu exaratum?

Ex collatione duorum Evangeliorum 582.
SS. Marci, et Matthæi, videtur prior nonnisi epitomen historiæ, seu Evangelii à S. Matthæo conscripti texisse; sæpè enim eadem phrases, eadem historia iisdem circumstantiis notata in utroque Evangeliò inveniuntur; interdum relatis à Matthæò historiis novi aliquid Marcus, quò nempe ipsius Evangelium clarius evaderet, ac faciliùs intelligeretur. Bina etiam vel tria miracula S. Marcus adnotavit, * c. 1. v. 23. et c. 5. v. 9. et 16.
quæ alii Evangelistæ omiserunt. Illud autem notatu dignum videtur, hunc Evangelistam, quamvis aliàs vestigiis S. Matthæi omninò inhæreat, narrationis tamen seriem à c. 4. usque ad c. 14. v. 13. Matthæi deseruisse, ut alium ordinem, eúmque, ~~quem~~ cæteri duo Evangelistæ etiam secuti sunt, teneret. Unde Chronologistæ gestorum seriem à Marcò, Lucâ, et Joanne deductam, prò eâ, quam Matthæus contexuit, probant.

Liber S. Marci 16. capitibus absolvitur; hique S. Evangelista historiam suam 583.
à prædicatione S. Joannis Baptistæ exordiitur, multáque interdum in eâ omittit, quæ apud Matthæum leguntur; ut sunt parabolæ c. 20. 21. et 25. Matthæi. Verba Christi ad Discipulos, et Pharisæos, Matth. c. 5. 6. et 7. Item c. 16. et 23.

Quidam veteres Hæretici, ut refert Ire- 584.
naeus lib. 3. c. 2. nullum nisi Marci Evangelium probabant. Fuerunt etiam inter Catholicos, qui duodecim postremos istius Evan-

gelii versus à 9.no scilicet capitis 16.ti versu, qui incipit, Surgens autem mane &c. rejecerunt. S. Hieronymus testatur*, hos versus in paucis duntaxat Græcis exemplaribus lectos fuisse: omnibus, inquit, Græcis libris penè hoc capitulum*; idest, hos 12. ultimos versus; non habentibus. Nec suâ ætate in plerisque Græcis Ecclesiis legebantur. ~~Ita suâ ætate in plerisque Græcis dubiis legebantur.~~

Nihilominus de veritate duodecim horum Evangelii S. Marci postremorum versuum minimè licet dubitare, ut qui æquè antiqui sint, ac ipsum hujus Apostoli Evangelium. Græci illos universim in suis Ecclesiis legunt; atque ex iis testimonium accipit S. Irenæus, qui prius quàm ea Græca Apographa, quæ hanc in rem proferuntur, extarent, floruit: expressis enim verbis finem hujus Evangelii citat lib. 3. adv. hæres. c. 11. In fine autem, inquit, Evangelii ait Marcus: Et quidem Dominus Jesus, postquam locutus est &c. notatque 19. versum ultimi, quod 20. versibus constat, capitis. Denique illos duodecim postremos versus continent antiquissima Latina, et Syriaca exemplaria, unde probatur, quòd in illis Græcis exemplaribus, ad quæ hæ versiones, quæ sunt antiquissimæ, præsertim Latina, adornatæ fuerunt, illi versus extiterint. Præterea etiam continentur in Græcis exemplaribus Cantabrigiensi, et Alexandrino, quæ omnium Græcorum exemplarium, quæ in Europâ supersunt, antiquissima censentur. Quòd autem in iis Græcis exemplaribus, de quibus mentionem fecit S. Hieronymus defuerint, id fortè Librariorum et Ammanuensium errore factum est, qui cùm ca

* Epist. ad Hedib. q. 3.

* vox Capitulum hic à S. Hieronymo usurpata, non denotat integrum ultimum S. Marci Caput, quod est 15.tum sed solùm ab his v. g. verbis, Surgens autem &c. Nam antiqui Scriptores Ecclesiastici Scriptionum suarum capita in varia capitula distribuebant, quæ Alphabeti litteris per ordinem distinguebant, ut adhuc videre est in antiquis sacrorum et aliorum Ecclesiasticorum librorum editionibus.

conciliare non possent, quæ de resurrectione 437.
Christi narrat hic Evangelista, cum iis, quæ S. Matthæus de eâ refert, hanc historiam è Mari Evangeliô removerint.

Duo in eo textu leguntur, quæ difficultatem aliquam involvere videntur. 585.

1º c. ii. v. 13. Narratur de Christô, quòd cùm extra tempus ficorum ex fico aliquâ fructus decerpere vellet, nec in eâ nisi folia invenisset, ei maledixerit dicens: Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet; vel ut loquitur Matthæus, c. 21. v. 19. Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum; et arefacta est continuò ficulnea. Quod factum contra sanam rationem esse videtur. 3/195

2º Ib. c. 13. v. 32. ait Christus, se ultimum diem judicii nescire; quod utique falsum erat.

Sed resp. ad 1um Christum hoc locô voluisse sui signô supremum suum omnium rerum dominium manifestare, atque simul indicare, populum Judaicum, quòd famelico Deo præter nuda sterilium ceremoniarum folia subministraret nihil, brevi subtractô gratiarum cœlestium humore, reprobatum, arefactum, et exilium ivi.

Ad 2dum Christus ait se diem idum nescire, non absolutè quidem, sed ut idum manifestet, id enim in mandatis à Patre non acceperat.

De S. Lucâ, et ejus Evangeliô. 586.

Lucas natione Syrus, patriâ Antiochenus, arte Medicus fuit*. An genere Ethnicus fuerit, an Judæus, disputatur. Qui eum inter septuaginta duos Discipulos Domini recensent, Judæum fuisse affirmant. Id certum, quòd Paulum prædicantem comitatus fuerit*, quo tamen tempore hui Apostolo se comi-

* Eutych. Alex. in Chron. Irenæus apud Euseb. Hist. l. 5. c. 8. Athanas. in Synopsi.

* 2. Timoth. c. 4. v. 11. Philem. v. 23. et Colos. c. 4. v. 14.

mitem Dederit ignoratur. Qui enim, auditis his Christi verbis: Qui non manducat meam carnem &c. ab ipso recessisse dicunt*, à S. Paulo Antiochiæ ad fidem revocatum putant, et eidem perpetuò deinceps adhæsisse tuentur. Alii Troade se Paulo comitem junxisse censent, quod et ipse Lucas convolare videtur, quando hoc scribit*: Statim quæsivimus à Troade proficisci in Macedoniam, quò loco de se, velut Pauli comite verba facere videtur.

* apud Epiphan. Hæres. 51.

* Act. c. 16. v. 8.

Lucas etiam picturæ vacasse ab aliquibus creditur: alicubi enim B. Virginis effigies vel ab eodem expressæ, vel ab ejusdem exemplaribus deprompta monstrantur. Veteres tamen hujus Sancti Lucæ artis nullibi meminêre; eumque pictorem fuisse primus omnium Nicephorus scribit.

Ea in suo Evangelio de Christi infantia, et B. Virgine disserit, ut et Sanctam Lucæ Virginem novisse, sibique cum eâ necessitudinem aliquam fuisse satis ostendat.

Epiphanio autore*, in Dalmatiam, Galliam, Italiam, et Macedoniam Evangelium intulit; teste verò Metaphraste in Ægyptò, Lybia, et Thebaide prædicavit.

* Hæres. 51.

587. Pluribus, ut ajunt, annis Paulo superstitem vitam traduxit; et senio tandem confectus, annos 80. vel 84. natus in Achaja vivere desiit*.

* Hieron. de vir. Ill. * lib. 2. c. 43.

Refert Nicephorus*, Thebis Boetiæ illum obiisse, ubi in hanc usque diem sepulchrum, quod S. Lucæ appellant, visitur. S. Hyppolitus*, in Eleâ Peloponesi civi affixum; Dorotheus*, Ephesi sepultum; Beda, Usuardus, Addo, et Romanum Martyrologium in Bythyniâ defunctum ferunt. Gregorius Nazianzenus*, Baselinus*, et Gaudentius, serm. 17. martyrio

* In Ms. Bodlei. apud Mill. Crafat. in Luc. * in Synopsi

* Orat. 3.
* Ep. 12.

interemptum; Græci recentiores olivæ affi- 439.
xum perhibent. Elias verò Cretensis*, cui
plerique recentiores adherent, violentâ mor- * Orat 3.
te minimè sublatum pro certò habet. In
his patet, quòd circa mortis illius genus, et
tempus nihil certi constitui possit.

Duo autem tempore, et annò Evangeli- 588.
um suum scripserit, æquè incertum. Græcè
illud scripsisse eum in Achaia, et Beotia
partibus tradit S. Hieronymus*. Id adan. * Proëm. in Matth.
2dum Neronis revocat Baronius, qui an-
no Æræ Christ. 57mo à Passione 23.tio res-
pondet. Vetus græcus Codex Ms.
Biblioth. Reg. Paris. n. 2871. autem ait:
Evangelium secundùm Lucam promulga-
tum fuisse 15. post ascensionem Domini
annis, atque à Paulò Romæ prædicatum
fuisse.

Viginti quatuor capitibus constat. 589.
Præter illud, et Apostolorum Acta, alia
quædam, ut versio, seu ipsa phrasis Episto-
læ S. Pauli ad Hebræos eidem tribuuntur.
Clemens Alexandrinus, apud Euseb. lib. 6.
Hist. et Hieronymus, de viris Illust. Ja-
sonis, et Papisci disputationem, quâ nunc
caremus, ab eo confectam putant.

Tertullianus*, et Auctor Synopsis, * lib. 4. cont. Marcion.
quæ Athanasio adscribitur, ipsum Lucæ 590.
Evangelium Paulo Apostolo tribuunt, quo
dictante illud Lucas conscripserit; illudque
ipsum esse, quod sæpiùs hic Apostolus Lu-
cum nuncupat*. Irenæus verò Lucam * Rom. c. 2. v. 26.
ea tantum litteris mandasse, quæ à Paulò et c. 16. v. 25.
prædicante audiverat, testatur, lib. 3. c. 1. Item 2. Thessal.
et Gregorius Nazianzenus S. Pauli ope c. 2. v. 13.
Evangelium ab ipso exaratum asserit.
Profectò S. Paulus ut plurimum Lucæ Evan-

~~444.~~ galium allegat, ut conferenti 1. Cor. c. 23. p. cum Lucæ c. 22. v. 18. et 1. Cor. c. 16. v. 15. cum Lucæ c. 24. v. 34. patet. Lucas tamen sibi eâ in re Paulum quidpiam contulisse nusquam meminit.

Theophilo cuidam nobis prorsus ignoto Lucas suum Evangelium et Acta Apostolorum inscribit, quem plerique veteres appellativo sensu virum Dei amantem arbitrati sunt.

Marcionitæ solum Lucæ Evangelium admittebant, sed pluribus locis à se ipsis corruptum, et mutilatum, prout testantur Tertullianus, lib. 5. cont. Marcionem; et Epiphanius, Hæres. 42.

Solvuntur Objectiones contra hujus libri autoritatem.

591. Ob. 1.º c. 2. v. 34. hujus Evangelii de Christo à Simeone dicitur: Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum. Et c. 9. v. 56. è contrà dicitur: filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.

Resp. Prioris textûs sensum esse non quòd Christus debeat esse causa formaliter, ut ajunt, per se et directè ruina multorum, sed solùm occasionaliter, per accidens, et indirectè, quatenus scilicet, multi ejus gratiæ, doctrinæque resistentes, majorem sibi damnationem acquirerent.

592 Ob. 2.do Jb. c. 3. v. 36. Sale dicitur esse filius Caïnan. at Genes. c. 11. v. 12. ubi texitur genealogia Sem usque ad Abraham, nulla hujus Caïnan sit mentio, sed Sale dicitur ejusse filius Arphaxad.

Resp. 1.º In Scripturâ Sanctâ insolitum esse, ut nepos avi sui filius dicatur. Hujus rei exemplum supra fect. 1. hujus partis

cap. 2. pag. 225. de Jonatha, qui quamvis sit ~~449~~ ~~448.~~
Isai patris David nepos, tamen ejusdem Isai
filius nuncupatur 1. Reg. c. 16. v. 11. Sic etiam
Sale in Genesi dicitur filius Arphaxad, non
quòd hi immediatè idem genuerit, sed
mediatè duntaxat, nempe per Cainan
filium suum.

5
197

Resp. 2.do Immeritò et ex libra-
riorum errore nomen istud Cainan in Evan-
gelium Lucæ irrepsisse. Non enim repe-
ritur in Chronicò Eusebii, nec apud Jose-
phum, nec apud Julium Africanum,
nec in vulgo Veteri Testamentò sive
Hebraò sive Latinò; atque etiam pre-
termissum ab Irenæò videtur, qui Sep-
tuaginta duntaxat generationes ab Ada-
mò usque ad Christum recenset. Equi-
dem nomen istud Cainan olim in Septua-
ginta legebatur, non tamen in omnibus
illorum editionibus: Enimverò non lege-
batur in Hexaplis correctis, et Origenes Su-
am Hexaplorum editionem Scutus eum
omittit; neque à Theophilò Antiochenò
in suò computò juxta versionem Septua-
ginta institutò recensetur, nec ab Usuar-
dò, Rabano, Ado ne, Cassiodoro, &c.
Extant etiam Novi Testamenti exempla-
ria, in quibus non legitur, ut in Anglia
Codex antiquissimus Græco-Latinus
quatuor Evangelia, et Acta Apostolo-
rum continens, &c.

Momentò difficultas hæc levaretur, 593.
si juxta illorum opinionem, qui ea
tantùm, quæ fidem et mores spectant,
Sacris Scriptoribus à Deò revelata, et in-
spirata fuisse tuentur, dici posset, Lu-
cam hic eam, quam præ manibus habebat,

442.

~~446.~~ ~~447.~~ Septuaginta Versionem secutum, errorem hunc ab eâ in suum librum transcripsisse. Verùm plerisque, imò pene omnibus nimis audax videtur hac opinio.

594 Ob. 3tiò Eodem c. v. 23. In texendâ Josephi B. V. Mariæ, et Christi genealogiâ dicit Lucas, Joseph fuisse filium Heli. cùm contrà Matthæus c. i v. 16. dicat eum fuisse filium Jacob.

Resp. 1º. Joseph fuit verè filius naturalis Jacob, et legalis Heli: lex enim jubebat, quòd mortuò fratre sine liberis, frater ejus superstes viduam ejus in uxorem duceret, ut mortui fratris semen, seu prolem suscitaret, quæ familiæ nomen retineret, et hæreditatem. Jacob autem, et Heli erant fratres, et cùm sine liberis mortuus esset Heli, Jacob frater ejus viduam ipsius duxit in uxorem, è quâ genuit Joseph, qui ideò, ut dictum, ipsius filius naturalis fuit, et legalis Heli: de eo ergò tanquam legali Heli filiò loquitur hic Lucas, tanquam naturali Jacob filiò autem Matthæus.

595. Verùm huic responsioni obstare videtur, quòd Jacob et Heli non videantur fuisse fratres germani ex eodem patre nati, sed uterini duntaxat; pater enim Jacob erat Mathan*, et Pater Heli Mathat*, qui diversi videntur, nisi hi librarii errorem incepisse, qui ultimam hujus nominis litteram vel in Matthæo, vel in Luca mutarit, et loco unius alteram posuerit. Lex autem jubens fratri sine liberis mortuo suscitari semen à superstite fratre, loquitur de germanis fratribus ex eodem Patre genitis, qui soli jus habebant retinendi nomen, et hæreditatem.

* Matth. c. 1.
* Luc. c. 3.

Resp. 2do Joseph à Luca dicitur fuisse Heli, non quòd fuerit filius Heli, sed quia fuit gener Heli, seu sponsus B. Mariæ filiæ Heli, seu Joachimi; unde est, quòd Lucas non utatur verbo genuit, quo utitur Matthæus, sed verbo fuit, ut indicet, quòd licèt Joseph fuerit Heli, non tamen fuerit ejus filius, sicut dum infrà dicit, Adam, qui fuit Dei, licet Adam non fuerit filius Dei, sed solùm plasma, vel opus Dei, quia Adam à Deo non fuit genitus, sed plasmatus; sicut et ipse Matthæus, ubi c. 1. v. 6. dicit: David Rex genuit Salomonem ex eâ, quæ fuit Uriæ, per hæc verba: quæ fuit Uriæ non vult dicere, quòd Bethsabee, ex quâ David genuit Salomonem, fuerit filia Uriæ, seu genita ab Uriâ, sed solùm, quòd fuerit uxor Uriæ, quam post ejus mortem David duxit in uxorem, et ex quâ Salomonem genuit. Cta 296

Verùm nec ista responsio satisfacere videtur: enimverò eodem sensu videtur Lucas dicere, quòd Joseph fuerit Heli, quo de aliis, quorum generationes hic texit, ut v. g. quòd Henos fuerit Seth, nempe quòd fuerit ejus filius, prout re verâ fuit.

Resp. 3tio Quòd, sicut Christus censetur, et dicitur filius Joseph, licèt non sit genitus à Joseph, sed ex eo solùm, quòd sit filius sponsæ Joseph, scilicet Mariæ, ita et Joseph censeri potest et dici fuisse Heli, licèt ex eo natus non sit, sed præcisè, quia sponsus fuit Mariæ filiæ Heli, præsertim cùm vires uxor per conjugium fiant mum et quasi una persona civilis, habeantque communia omnia.

Resp. 4°. Patrem Joseph, quem
+c. iv. 16. Matthæus vocat Jacob, eundem fuisse ac
eum, quem hic Lucas Heli nominat, solóque
nomine differe, quod in Sacra Scriptura
~~omnis~~ frequens est, ut nempe eadem persona
in diversis ejusdem libris varia nomina sor-
tiatur.

Resp. Denique 5°. Multa conti-
neri tum in libris Paralipomenon, tum in
aliis Scripturæ sacræ voluminibus Chronolo-
giam et genealogiam spectantia, quæ ipso-
rum Hebræorum consensu sibi invicem
contraria esse videntur, licet re verâ inter
se conveniant, et solùm ex nostrâ igno-
rantiâ conciliari non possint. Sic pari-
ter hic loquendum videtur; et si fortè ata
unde ha genealogiæ eruta fuerunt, adhuc
perstent, facilius utique difficultates inde
ocurrentes solveremus.

596. Ob. 4.to Mt. c. 24. v. 26. Dicitur Chris-
tus finisse se longius ire. Sed fingere est
mentiri, p.

Respond. Ista, et alia fictiones, qui-
bus Christus usus est, non fuerunt ad decipi-
endum, quod solùm de ratione mendacii
est, sed ad aliquid majus significandum.

De S. Joanne, ejusque Evangelio.

597. Joannes Evangelista ex Bethsaida
Galilæa Zebedæi, et Salomes filius, piscatione
vitam tolerabat. Cum, priusquam
Christum sequeretur, aliqui, non tamen
satis firmo argumento, Joannis Baptistæ
Discipulum fuisse arbitrantur.

Ipsum et Jacobum fratrem suum,
qui communiter Jacobus Major appellatur,
Dominus Boanerges idest, tonitrui filios
idcirco forte appellavit, quod vivido spiritu
et fide quam maximâ prostantes essent.

445. ~~[illegible]~~.

Joannes omnibus Apostolis junior hisse creditur, utqui, cùm Dominum secutus est, annos quinque vel sex supra viginti vix attigisse poterat*. Præcipuò eum Dominus amore prosequebatur, seque Joannes ipse plerumque Discipulum, quem diligebat Jesus, appellat.

* Paulin. Ep. 386. Hieronym. Ep. 1.

Usque ad Domitiani persecutionem pauca de illo novimus. Paulò postquam Apostoli Spiritum Sanctum receperant, Petrus, et Joannes, quòd claudum ad portam Templi sedentem sanassent, et Christum prædicare non cessarent, flagris casi Jerosolymâ ejecti sunt; unde Samariam profecti Spiritum Sanctum iis impertierunt, quos Philippus baptizaverat.

Joannes Deindè ad Parthos se contulisse creditur, ejúsque prima Epistola ad Parthos inscripta interdum profertur*. Nullum est dubium, quin in Asiam profectus, de Evangeliò apud populos diverit, diúque Ephesi, vel propè eam regionem commoratus fuerit.

598.

* Aug. quæst. in Evang. lib. 2. c. 39.

Domitianò imperii sui annò 15.to fideles insectante, Joannes Ephesò Romam ductus est, ibique in ferventis olei dolium demersus evasit incolumis, prout referunt Tertullianus, lib. de Præscript. c. 36. et S. Hieronymus, In Joan. lib. 1. c. 14.

599

Lima

In Patmò maris Ægæi insulâ inde exulavit, ubi Apocalypsim scripsit. Annò deinde Æræ 96. mense Septembri, Domitianò interfectò, et ab ejus successore Nervâ omnibus exulibus restitutis, Joannes Ephesum reversus est, annò Æræ, seu, ut nunc vulgò dicitur, Christi 97.* quo annum agebat 90mum.

600

* Anni Æræ Christianæ quatò sem-

per annô subsequuntur annos Christi; ita ut quartus annus a Christô natô sit annus primus æræ Christianæ; jam autem mos invalùit, ut anni Christi ab annis æræ numerentur.

601 Ad extremam usque senectam pervenit, ac tandem felicissimô obitu defecit Ephesi annô Christi 100. cùm juxtâ S. Epiphanium Hæresi. 51. æt. annorum 94. Juxta alios verò 98. vel 99. vel etiam 104. ac propè Ephesum tumulatus est, ut testatur Hieronymus, lib. de Vir. Illust.

Quo autem tempore, et annô Evangelium suum scripserit, et ediderit, procùl definiri non potest; id duntaxat notum, quòd videlicet omnium Evangelistarum postremus librum suum exararit.

602. Nec etiam nobis certa supersunt monumenta, quæ nobis rationes exhibeant, quibus hic S. Apostolus ad aggrediendum opus istud impulsus fuerit, postquam Evangelia SS. Matthæi, Marci, et Lucæ jam edita conspexisset.

Clemens Alexandrinus, quid hac de re suâ ætate sentiretur*, refert; scilicet S. Joannem, lectis tribus hisce Evangeliis, et tanquam veris ab ipso approbatis, cùm animadvertisset in iis abesse historiam eorum, quæ Jesus initiô prædicationis patraverat, manum operi admovisse, præsertim, cùm id Asiæ fideles enixè ab ipso expetiissent, ut quod aliorum Evangelistarum historiæ deesse videbatur, suppleret, omissis plerùmque iis, quæ à prioribus Evangelistis jam relata fuerant, atque eorum locô expositis iis, quæ Jesu Christi divinitatem spectabant.

* apud Euseb. Hist. lib. 3. c. 24.

At S. Hieronymus, cum occasione hæresis Cerinthianorum, et Ebionitarum Christo divinitatem abjudicantium Evangelium suum scripsisse asserit*. Cùm enim hæresis ista in Asiâ vires sumere videretur, rogaverunt Asiæ fideles, et Episcopi, ut contra hos Hæreticos, et de iis quæ de Do-

* Proëm. Comment. in Joan.

minò viderat, vel ab ipso audiverat Evangelium conscriberet. Petitioni ipsorum Joannes, jejuniis priùs, et precibus publicis inditis, morem gessit, Spiritique Sancto repletus, hisce è cœlò delapsis verbis In Principio erat Verbum &c. Evangelium suum exorsus est, in illo ea præsertim referens, quæ adversùs Ebionitas, et Cerinthianos Christi divinitatem quàm maximè comprobarent. Ipsius porrò Evangelii 21. numerantur Capita. 447.

Quemadmodum, ut supra adnotavimus*, in quibusdam Græcis Mss. exemplaribus 12. ultimi versus Evangelii S. Marci non leguntur, ita etiam duodecim versus in Evangeliò S. Joannis numerantur, qui in quibusdam exemplaribus Mss. ut et ~~editio-libro~~ typò vulgatis græcis editionibus non reperiuntur, nempè v. 53.tius et ultimus capitis 7.mi usque ad v. 11. cap. 8.vi inclusivè, quibus nempe historia mulieris in adulterio deprehensæ continetur. Nihilominus minimè dubitandum est, quin hæc historia partem Evangelii S. Joannis verè constituat, atque ab ipso eaque conscripta fuerit, ac reliqua ipsius historia, 1.o quia illius mentionem fecit Papias Apostolis coævus, apud Euseb. lib. 3. Hist. c. 39. Ammonius Alexandrinus, In Harmoniâ Evangeliorum, qui primis Ecclesiæ sæculis florebat. Pseudo-Athanasius, in Synopsi. S. Joannes Chrysostomus, Hom. 60. in Joan. Ambrosius, Ep. 58. lib. 7. ad Stud. Hieronymus, lib. 2. advers. Pelag. Augustinus, Tract. 33. in Joan. Pluresque alii Patres, qui omnes hanc historiam in Joanne legerunt, atque in suis commentariis exposuerunt. Sanctus quoque Augustinus lib. 2. De adulterin. Conjugiis,

447. ~~451~~

603.

* De S. Marcò et ejus Evangeliò.

448.

c. 7. ait, hanc historiam ab inimicis veræ fidei è nonnullis Evangelii S. Joannis Codicibus erasam fuisse. 2.° *Nicetas in catenâ Commentatorum Græcorum in Evangelium S. Joannis testatur, hanc historiam reperiri in antiquis Græcis exemplaribus. *Aliacatena Commentatorum Græcorum ait eandem historiam in omnibus antiquis Evangelii S. Joannis exemplaribus contineri. Idipsum referunt plures alii codices Mss. apud Simonium*, qui et testatur, eam ab aliquot jam sæculis in omnibus Ecclesiis Græcis legi; atque in Versionibus Syriacis*, et Arabicis Romæ, et in Hollandiâ typis vulgatis reperiri. *Beza etiam fatetur, ex 17. Mss. antiquis, quæ penes se habebat, hanc historiam in unico deesse. *Calvinus quoque eam recipiendam statuit, eoquòd in Ecclesiis Latinis semper recepta fuerit, neuon in multis antiquis exemplaribus, et libris Græcis reperiatur, nihilque Spiritu Apostolicò indignum contineat.

* Cod. Ms. Bibliot. PP. Oratorii Parisiens.

* Cod. Ms. Bibliot. Reg. Paris. n. 1883.

* Hist. crit. du Nouveau Testam. c. 13.

* In Bib. Polig. Ang.

* Annot. in Joan. c. 7. v. 53.

* Comment. in Joan. c. 8. v. 1.

3.° Accedit Auctoritas Ecclesiæ, quæ hanc historiam velut Canonicam semper habuit; eámque in divinò Officiò legit, Sabbatò nempe post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

604. Quod autem in aliquibus Græcis exemplaribus ætate Hieronymi, et Eutymii defuerit, id ab aliquo Græcò Scriptore factum autumant Maldonatus, Seldenus, et Walaus*, qui Græcus in hunc locum nimiâ cum libertate criticen suam exercuerit. Nec à verò abludit hæc conjectura, exploratum quippe habemus, Græcos Scriptores interdum nimis quam liberè sua exemplaria correxisse, et interpolasse, iis, prout suus ferebat genius, modò quædam addentes, modò abûs rescindentes: quidni etiam idipsum, quoad hunc lo-

* Comment. in Joan.

cum S. Joannis prætiterint, fortè quia viderunt, 449.
hujus historiæ nubam esse apud reliquos Evangelistas mentionem.

Leguntur in hoc S. Joannis Evangeliò aliqua, quæ quodammodò difficultatem continere ~~videntur~~ videntur, ut 1.o c. 5. v. 31. Christus ait: Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum. at contra c. 8. v. 14. Et si ego, inquit, testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum. Quæ sibi invicem contraria, et interse pugnantia videntur. 605.

2.do Jb. c. 11. v. 4. De infirmò Lazaró dicit Christus: Infirmitas hæc non est ad mortem; et tamen ibidem legitur, v. 14. Lazarus mortuus est. Quæ iterum sunt contraria.

3.o denique, Jb. c. 15. v. 15. ait Christus discipulis suis: Omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis. Et tamen c. 16. v. 12. eosdem alloquens dicit: Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò. Sed hæc sibi contradicere videntur.

Resp. ad 1.um Hi duo textus non sub eodem, sed sub diverò sensu à Christò prolati fuère; nam in priori loquitur de suò testimoniò à se ~~roborato~~ ipso prolatò; in posteriori verò loquitur quidem de suò testimoniò, sed non solò, verùm Patris sui testimoniò roboratò, et firmatò. In priori ergo textu dicit gratis, et quasi permittens, testimonium meum non est verum, idest, vestrò scilicet judiciò firmum, et sufficiens, quia testimonium unius, juxta vulgarem hominum sententiam, non est firmum, præsertim, quando est unus de se ipso testantis. In posteriori verò dicit, testimonium meum est verum, quia non unus tantùm, sed duorum est, mei scilicet, et Patris mei testimo-

~~454~~ rium de me perhibentis, qui sumus duæ personæ divinæ, duæque de meâ divinitate testes omni exceptione majores.

3 Prima Cc 121

Ad 2dum Resp. 1o. Infirmitas Lazari non fuit ad mortem omnibus hominibus communem, quâ qui moriuntur, manent mortui, nec ad vitam redeunt; sed fuit ad miraculum pro manifestandâ Dei gloriâ per resurrectionem defuncti Lazari. Resp. 2do. Quod ideo hæc Lazari infirmitas non fuerit ad mortem, licèt tamen postèa mortuus sit, quia hæc ipsius mors, non tam fuit mors, quàm somnus, à quo idcò evigilavit, et resurrexit à Christo resuscitatus, seu potiùs exuitatus. Resp. 3o. Itaque infirmitatem Lazari re ipsâ non fuisse ad mortem, tamen ipsum mortuum esse, ut videlicet Christus miraculum, ob quod Deus illum mori permisit, patraret, eóque missionem suam magis coram populô confirmaret.

Ad 3tium Resp. cùm Christus suis Apostolis omnia audita à Patre suô nota fecisse dicit, de iis tantùm, quæ ad ipsos, ipsorumque munus spectabant, loquitur. cùm autem c. 16. se adhuc multa eis dicenda habere declarat, de aliis ad totius Ecclesiæ regimen, et statum pertinentibus rebus loqui dicendus est, inter quæ sunt abolitio legalium observationum, rituum Ecclesiasticorum institutio, et alia similia, p. Hæc de libris legalibus Novi Testamenti, seu Quatuor Evangeliis.

606. Præterea nulla alia Canonica censentur, quamvis plura passim referantur: ut Evangelium secundum Hebræos. Evangelium secundum Nazaræos. Evangelium duodecim Apostolorum. Evangelium S. Petri. Quæ quatuor sunt fortè unicum S. Matthæi Evangelium ab Hæreticis Nazaræis depravatum. Item Evangelium secundum Ægyptios. Evangelium Nativitatis San-

tissima Virginis. Evangelium S. Jacobi. Evangelium Infantiæ Jesu Christi. Evangelium S. Thomæ. Evangelium Nicodemi. Evangelium æternum. Evangelium S. Andreæ. Evangelium S. Bartholomæi. Evangelium Apelis. Evangelium Basilidis. Evangelium Cerinthi. Evangelium Ebionitarum. Evangelium Encratitarum. Evangelium Evæ. Evangelium Gnosticorum. Evangelium Marcionis. Evangelium S. Pauli. Parvæ, et magnæ interrogationes Mariæ. Liber Nativitatis Jesu Christi. Evangelium S. Joannis, alio nomine, liber obitus B. V. Mariæ. Evangelium S. Matthiæ. Evangelium Perfectionis. Evangelium Simonianorum. Evangelium Secundum Syriacos. Evangelium Tatiani, idem ac Encratitarum. Evangelium Thaddæi, seu S. Judæ. Evangelium Valentini, idem ac Evangelium veritatis. Evangelium vitæ, seu Dei viventis. Evangelium S. Philippi. Evangelium S. Barnabæ. Evangelium S. Jacobi Majoris. Evangelium Judæ Ischariotes. Evangelium veritatis. Pseudo-Evangelia Luii, Celsui, Luciani, et Hesychii. Quæ omnia tanquam libri Apocryphi, et ab Hæreticis confincti ab omnibus habentur.

Caput Secundum.

De Actibus Apostolorum libro. 607.

Unicus Novi Testamenti Liber historicus dignoscitur, qui Canonicus sit, et divinæ autoritatis, Actus, scilicet, sive Acta Apostolorum dictus, quamvis parva admodum de gestis ipsorum memoret Autor ut pote qui de ipsis nonnisi usque ad tempus illud, quo in varias regiones Evangelium annuntiaturi abiere, ac ab invicem divisi fuere; ~~de ipsis~~ loquatur, verum aliis aliorum gestis præ-

termissis, non exiguam SS. Petri, et Pauli vitae seriem, ab ascensione videlicet Christi usque ad S. Pauli Romam adventum, postquam ad Cesarem provocasset, historiam — nempe viginti octo, vel triginta annorum 28. capitibus tenat.

608. Hujus Libri Autor Lucas semper abomnibus est habitus, qui enarratis in Evangeliô suô Christi operibus, Apostolorum Principum facinora, miramque rationem, qua Spiritus Sanctus Ecclesiam sanguine Christi redemptam efformavit, etiam recensere aggressus est.

Creditur S. Lucas hoc sibi proposuisse sinceram nempe Apostolorum, præsertim Petri et Pauli vitam, aut saltem illius partem scriptô consignare, atque vera acta falsis, quæ vulgô circumferebantur, opponere.

Hæc Ecclesiæ nascentis historia tanti ab Ecclesiâ semper habita est, ut, aliis neglectis, eam solam adoptaverit Ecclesia ipsa.

609. Quo tamen tempore acta hæc scripsit S. Lucas, incertum est. In hoc omnes conveniunt, ea ab ipso post suum Evangelium scripta fuisse; imô eum illa scribere non potuisse, nisi duobus annis, postquam Paulus Romæ moratus est, in primô huô idem itinere; annô scilicet circiter 62. vel 63. Christi, seu Æræ, cum de hoc itinere, hujusque Apostoli ibidem morâ disserat. Fortasse scripsit librum hunc Romæ apud Paulum in carcere detentum, quocum per duos annos, quibus idem Apostolus ibi fuit, commoratus est, nempe usque ad illius liberationem. Græcè scripsit puriori etiam ac elegantiori, quàm cæteri Novi Testamenti scriptores, sermone.

* Hæres. 3. c. 3. et 6. 610. *S. Epiphanius librum hunc ab Ebionitis è Græcô in Hebraeum, Syriacum scilicet Judæis Palestinæ familiare, idioma translatum tradit, corruptum tamen ab illis, pluri-

.453.

bisque fabulis, necnon Apostolorum memoria injuriosis, falsorum historiis interpolatum.

S. Hieronymus asserit, veris Actis S. Lucæ itinera Pauli, et Theclæ fœminæ à quodam Asiæ Presbyterô adjuncta fuisse, qui, prout narrat Tertullianus, postquam corrupta in hâc suâ narratione veritatis convictus fuisset, fassus est, se hanc historiam studiô celebrandi S. Pauli confinxisse.

* De Script. Eccles. in Luca.

* lib. de Bapt. c. 17.

Liber hic Actuum Apostolorum à S. Lucâ editus inter Canonicos semper habitus est in Ecclesiâ. Marcionitæ, ut auctor est Tertullianus*, et Manichæi, prout testatur S. Augustinus*, nonnullique alii Hæretici illum respuebant, quia errores ipsorum in ido apertissimè damnabantur, atque adversus circumcisionem, Sabbatum Judæorum, Legemque veterem, quæ omnia reti~~nebant~~ ~~colebant~~ veri debere volebant Ebionitæ, quædam in eo continerentur. Manichæi verò indignabantur, quòd in hoc librô alius Paracleti mentio fieret, quàm Patriarchæ sui Manichæi, quem solum Paracletum à cœlô ipsis missum dicebant.

* lib. 5. cont. Marcion. c. 1. et 2.

* Lib. de utilit. cred. c. 3. Et Epist. olim 253. nunc 237. n. 2.

Refert idem Augustinus*, librum hunc ab Ecclesiâ religiosè susceptum, et quotannis in fidelium cœtu legi solitum esse. S. Chrysostomus queritur*, suâ ætate, libri hujus neglectam, et lectionem negligi: Ipse verò illius dotes amplè laudat, meritôque asserit, illum non minoris esse utilitatis, quàm ipsum Evangelium.

* Ep. 319. n. 1. nov. edit.

* Hom. 1. in Act. Apost.

Verùm si quis quærat, cur S. Lucas adeò paucæ de cæteris Apostolis, eorumque peregrinationibus commemoret, sed S. Pauli itinera præcipuè persecribat, imò nec ea absolvat, cùm tamen ipsius liber omnium Apos-

~~454.~~ tolorum titulo sit insignitus? Respondet

* loc. cit. ∴ S. Chrysostomus*, quod ea, quæ S. Lucas hac de re scripsit, iis sufficiant, qui ad ea seriò mentem, et animum intendere voluerint. quod præterea Apostoli, eorumque Discipuli, qui Evangelium Jesu Christi prædicabant, ea duntaxat scitati sint, quæ magis necessaria censebant, scribere historias perm soliti; * quod Ecclesiis plures res solâ traditione, quod bene notandum, reliquerint. Enimverò certum est, præcipuum Apostolorum studium fuisse, Evangelium prædicare, et quod nihil suarum prædicationum scripsissent, nisi vehementer à populis, quos instituerant, rogati, ac solicitati fuissent. Religio quippe conservari poterat sine ullis scriptis, sed solâ traditione.

* Apostoli ex mente S. Chrysostomi, non omnia ea quæ prædicabant, scriptò mandarunt, sed traditione reliquerunt.

613. Duo hic objiciuntur, 1º Act. c. 1. v. 1. ait S. Lucas, de omnibus, quæ coepit Jesus facere, et docere p sermonem fecisse, et tamen S. Joannes Evangelista, Evangelii sui c. ult. ait: esse multa alia, quæ fecit Jesus: quæ singula, si scriberentur, nec totum mundum posse eos, qui scriberentur, libros capere. 2º Ib. c. 15. v. 28. Apostoli in Concilium conati definiunt: Visum est Spiritui Sancto, et nobis ..... ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum. Et tamen Paulus 1. ad Timoth. c. 4. v. 3. ait, doctrinam esse Dæmoniorum abstinere à cibis, quos Deus creavit.

Verum Reprond. ad 1mum S. Lucas non de omnibus absolutè loquitur, sed solùm de præcipuis Christi gestis et documentis à primâ infantiâ usque ad eius in cœlum ascensum; Sanctus verò Joannes de omnibus absolutè loquitur.

Ad 2dum Resp. Apostolus non

dicit, quòd abstinere absolutè à certis cibis sit 455.
doctrina Dæmoniorum, sed abstinere ob illis superstitiosè, hoc est, abstinere ab illis, quasi immundis, ut Judæi solebant, vel quasi per se malis, et à malô Deô, seu Dæmone procreatis, cô modô, quo Simoniani, Saturniani, Ebionitæ, Marcionitæ, Manichæi, et alii nonnulli Hæretici abstinebant. Unde abstinere à certis quibusdam cibis obedientiæ, temperantiæ, vel pœnitentiæ causâ, exemplô S. Joannis Baptistæ; et in eo sensu, quo interdum abstinere præcipit Ecclesia, non Dæmoniorum, sed Spiritûs Sancti doctrina est.

Cæterùm alia circumferuntur, Apocrypha tamen, Apostolorum Acta; ut jo 614
ea, quæ Abdia ficto Babylonis Episcopo tribuuntur: Impostor hic, se Episcopum ab ipsis Apostolis, cùm in Persidem profiscerentur, Babylone constituatum dicit. Recens tamen opus istud esse inde colligere licet, quòd nec Eusebio, nec Hieronymo, nec alis antè illos Patribus notum fuerit. Autor dicit, se græcô sermone scripsisse, et opus suum à Juliô Africanô græcô etiam scriptore in Latinum fuisse translatum. Hegesippum nominat, qui sæculô 2dô floruit. Vitæ denique Apostolorum, quas conscribit, adèo refertæ sunt fabulis, ut malè digesta fabula totus quotus est liber dici meritò possit. 2o. Acta S. Petri, seu Periodi Petri, quæ adhuc supersunt sub nomine Præcognitionum S. Clementis, prolixiora quàm olim fuerint. Opus fabulis plenum, ex Ebionitarum Schola ducens originem.

3o. Acta S. Pauli post hujus Apostoli

mortem scripta, Opusque id velut supplementum eorum esse videtur, quæ de gestis S. Pauli ab altero ipsius Romam adventu annô usque ad ipsius obitum Lucas scripserat. Librum hunc omninò deperditum bis longiorem fuisse Canonicis Apostolorum Actis necesse est. Codex enim Ms. à Coteleriô laudatus*, Librum hunc quingentos et sexagenos versus supra 4000. continuisse testatur, cùm tamen Canonica Apostolorum Acta nonnisi quingentis supra bis mille tantùm constent. Eusebius, qui librum hunc viderat, de eo velut supposititiô opere, nullâque fide dignô loquitur*. 4º Acta S. Joannis Evangelistæ Epiphanio, et Augustino notæ*, incredibilia Apostoli hujus gesta continebant. Illis utebantur Encratitæ, Manichæi, et Priscillianistæ. Fortasse Auctor Synopsis hæc acta laudat sub nomine Itinerarii S. Joannis. 5º Acta S. Andreæ en S. Augustino* nota, et à Manichæis recepta, ab iis, quæ sub nomine Presbyterorum Achajæ supersunt, diversa. His apocryphis Actis Manichæi, apud Augustinum*, Encratitæ, apud Epiphanium, Hæres. 42. 61. 63. et Apotactici utebantur. 6º Acta S. Thomæ, quorum verba quædam citat S. Augustinus*, et Manichæis in usu fuisse testatur. Horum partem fictus Abdias in vitâ S. Thomæ excerpsit. Simonius vetera hæc S. Thomæ Acta reperisse se putat sub nomine Periodorum S. Thomæ Apostoli in Ms. græcô codice, qui in Bibliothecâ Regia Parisiensi sub num. 1832. asservatur. Horum fragmenta quædam edidit in suis observationibus in textum, et versiones Novi Testamenti. 7º Acta S. Philippi, Opus Gnostici familiare, et à Gelasiô

* Not. in Ep. Barnab.

* lib. 3. Hist. c. 25.

* Epiph. Hæres. 47. Aug. De fid. c. 4. et 40. Item cont. adversarios leg. et Prophet. lib. 1. c. 10.

* De fid. cont. Manichæos. c. 38.

* loc. cit.

* lib. cont. Adimant. c. 17. et 22. Item cont. Faust. c. 79. et lib. 1. De serm. Domini in monte c. 20.

Papâ inter apocrypha annumeratum. Anastasius Dionita fragmentum quoddam eorum brevavit in suô Opere trium Quadragesimarum editô à Cotelerio in suis monumentis Ecclesiæ Græcæ tom. 3. p. 428. 8°. Acta S. Matthiæ, de quibus Bollandus 24. feb. Volunt aliqui; Judæos aliquamdiu vitæ, et mortis S. Matthiæ exemplar celavisse, sed postmodum à quodam Monachô Trevirensis S. Matthiæ Monasterii ex eorum manibus eruptum fuisse, quod latinitate donatum in lucem edidit. Eruditi verò hæc Acta, nec vera, nec authentica existimant: fortè bonæ fidei viristè à Judæis deceptus fuit. 457.

Caput Tertium.

De Libris Sapientialibus, seu Moralibus Novi Testamenti.

Libri Sapientiales seu morales Novi Testamenti viginti et unus numerantur, ut dictum est part. 1. c. 1. hujus Tractatûs. Quatuordecim videlicet Epistolæ S. Pauli Apostoli; Tres S. Joannis; Duæ S. Petri; una S. Jacobi; et S. Judæ una; in quibus Novæ Legis Sapientia per exempla ac præcepta secundum Christum piè ac beatè vivendi plenissimè traditur. 615.

De Epistolis S. Pauli.

S. Paulus olim Saulus appellatus, è Tribu Benjamin Tharsô in Ciliciâ oriundus, sectâ Pharisæus, Ecclesiæ primùm hostis, deinde Discipulus Christi, et gentium Apostolus effectus, Tharsensis Romanus civis fuit. Idque gesta tum Lucas in Actis Apostolorum, tum ipsemet Paulus in suis Epistolis passim enarrat. Martyriô tandem decoratus est Romæ 29. Junii an. Chr. 66. capite ad aquas Salvias abscissô. 616.

458.
~~462.~~ ~~459.~~
617. Inter quatuordecim, quas scripsit, Epistolas, in Sacrarum Scripturarum Codice prima ponitur ea, quæ est ad Romanos data Corinthi an. Chr. 58. Epistolæ occasionem dedit contentio Judæos inter et Gentiles ad fidem conversos orta. Contendebant illi, se per observationem Legis Mosaicæ venisse ad Christi fidem, et justificationem fuisse consecutos: isti verò per legis moralis observationem eâdem gratiâ dignos se habitos fuisse. Utrisque silentium imponit Paulus, atque in suâ Epistolâ gratiæ, et prædicationis dogmata prosequitur, quam gratiam, ait, neque Judæi Legalium, neque Philosophi moralium virtutum exercitiô assequi unquam promeriti fuerint. Non Philosophorum meritis tribuendum, quòd appetati ad fidem fuerint, nec Legis observationi, quòd Judæi ad eandem venissent, sed uni divinæ gratiæ beneficio et Christi meritis referendum esse, docet. Hæc ad Romanos Pauli Epistolæ 16. capitibus comprehensa summa.

618. In ea occurrit locus difficultate aliqua obvolutus. Ibidem enim c. 7. v. 18 ait Apostolus, Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. At è contrà Philipp. c. 4. v. 13. dicit: Omnia possum in eo, qui me confortat.

Sed Resp. cùm ait Apostolus, se omnia ad salutem posse, loquitur de seipso divinæ gratiæ juvamine roboratô; et cùm è contrà dicit, sibi velle adjacere, et bonum perficere se non invenire, id de seipso fatetur propriæ naturæ viribus relictô.

619. Succedunt duæ ad Corinthios. Prima fertur scripta Ephesi an. Chr. 57. In eâ

459.

S. Paulus Corinthios redarguit de seditione ortâ ex nimiô erga Magistros suos studiô, simulque quòd perniciosâ libertate ab Idolothytis, pessimô fratrum suorum exemplô, non abstinerent. Acerrimè in incestuosum, qui socrum suam duxerat, invehitur: nec etiam iis parcit, qui causas coram sanctis et Ethnicis Judicibus agitandas sumpiebant; iis etiam, qui acceptô aliquô divinitùs donô, superbiebant, minas intentat. Carpit quoque abusus in coetibus Ecclesiasticis gliscentes, in quibus nempe verba faciendi privatus, ne foeminis quidem exceptis, omnes tenebat. Denique monita quædam ad mores dirigendos aptissima subjungit. Hujus Epistolæ 16. numerantur capita.

Occurrit in eâ locus, qui veritati non satis convenire aliquibus videri posset; ait nempe Apostolus c. 1. v. 17. Non me misit Christus baptizare, sed evangelizare. cum tamen Matth. c. ult. v. 19. dicat Christus Apostolis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c. Gro.

Sed Resp. quando Paulus ait, se non à Christô missum esse, ut baptizet, vel alia sacramenta Parochis committi solita ministret, intelligit principaliter et ordinariè, ut significet, primarium sui Apostolatûs, et suæ Legationis munus esse prædicare. Unde Concilium Tridentinum prædicandi munus exercere præcipit Episcopis.

Ephesô ejectus Paulus venit in Macedoniam. Ibi certior factus pacata per Epistolam suam priorem Corinthi seditionis, secundam indè ad eos, eôdemque, quo priorem annô dedit Epistolam, in quâ plurimum contrâ malos Doctores, famæ suæ apud illos detrahentes invehitur. Suum proinde mu- 621.

~~464.~~ nus efferens, meritas etiam gestis suis laudes, quamquam non sine insitâ ipsi moderatione et modestiâ, prosequitur. Revelationes suas, alienum à cupiditate animum, persentiones, et exantlatos à se labores commemorat. Hortatur. Deinde Corinthios, ut debitas suis criminibus poenas, ipsimet expetant. Veniam mestusio indulget; monétque, ut ad suum adventum eleemosynas prestò habeant. Idius 13. sunt Capita.

622. Inter alia in hâc Epistolâ c. 5. v. 10. ait Paulus, omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. At è contrâ ait Psalmista Psalmo 1. v. 5. Non resurgent impii in judiciô.

Verùm Psalmista sensus est, juxta Hebraïcum textum, impii non stabunt, juxta Chaldaïcum non consistent, quia videlicet causâ cadent, et damnabuntur, quando coram divinô Tribunali simul cum justis congregati judicabuntur, et summâ cum ignominiâ procul à Deô, et à justorum coetu damnati discedent.

623. Quartô loco ponitur Epistola ad Galathas Ephesô quoque scripta an. Chr. 56. Incâ Galathas redarguit, quod post suum discessum seduci se passi sint à quibundam iniquis Doctoribus, et Pseudo-Apostolis, qui Legalium observantiam, necnon circumcisionem ad salutem prorsus necessariam, et cum Lege Evangelicâ conjungendam esse dititaverant. Munus suum magnifìcis verbis extollit, simúlque vividis coloribus iniquos Doctores illos depingit. Congestis Scripturæ testimoniis probat, fideles à jugô Legis liberos esse oportere. Plura etiam ad mores, et ad vitam rectè instituendam præcepta adnisset. Hujus Epistolæ sex numerantur Capita.

Quinta ad Ephesios scripta fuit ex Urbe 461.
Româ forte an. Chr. 61. Hujus Epistola argu- 624.
mentum constituunt potissima fidei mysteria, Redemptionis nempe, justificationis per mortem Christi, gratuita prædestinationis, vocationis Gentium, duorum populorum unionis sub capite Jesu Christô; ac tandem hujus divini Capitis super omnes creaturas tam spirituales, quam corporeas eminentia. Omnium ceterarum ipsius Epistolarum abstrusissima, et magnificentissima videtur, atque sex capitibus concluditur.

Sextò ponitur Epistola ad Philippen- 625.
ses ex eadem Urbe Româ circa an. Chr. 62. data. Lucâ, post redditas de subsidiô ad se in vinculis missô debitas grates, de fructu vinculorum suorum agit; hortatur insuper, ut dignam filiorum hujus vitam inter Ethnicos ducant in perpetuô concordia nexu, sincerâque animi demissione: eos contra iniquos ex Judaismô Doctores instituit, ac tandem brevi illos revisendi spem fecit; quamvis enim mortem made se significaret, sive tamen se affirmat, vitam sibi fore à Deo producendam. Quatuor constat capitibus.

Sequitur Septimò Epistola ad Colos- 626.
senses circa eundem annum Chr. 62., et iisdem vinculis scripta. Quamquam enim hos fideles nec Paulus instituisset, ne vidisset unquam, ab Epaphrâ tamen eorundem Apostolô, quem socium in vinculis Romæ habebat, illorum in suscipiendâ fide studium didicerat. Eodem etiam Epaphrâ referente compertum habuerat, quosdam Pseudo-Apostolos loliô bonum semen corrupisse,

~~464.~~ dictitantes, indignum esse, homines per Jesum Christum tantum ad Deum accedere, prostare igitur, ut mediatoribus Angelis uterentur. Ut ergo hos fideles edoceat Paulus, de Jesu Christi dignitate, necnon mediatoris munere disserit. Hortatur Colossenses, ut caveant, ne ullis aut persuasionibus, aut imposturis Pseudo-Doctorum à Christi fide se abduci permittant; additis etiam pluribus rebus ad vitam recte instituendam spectantibus. Rogat etiam, ut eandem hanc Epistolam ad Ecclesiam Laodicensium legendam transmittant, necnon etiamnum illam, quam Laodicenses ad ipsum Paulum dispersant, in Ecclesiâ suâ palam legant. Hæc Epistola itidem 4. constat Capitibus.

627. Sequuntur bina ad Thessalonicenses ex urbe Corinthô an. Chr. 52. data. In primâ — eorum studium, virtutem, charitatem in fratres ex Macedoniâ, fideique constantiam pluribus effert. Docet eos futuram esse mortuorum resurrectionem, eisque tradit veram de extremô judiciô doctrinam. Deinde plura subjungit vitæ Christianæ documenta potissimum circa usum Matrimonii, otii fugam, luctum in mortuos, et ad evitandos Christi dolos. Quinque hunt illius Capita.

628. In secundâ occupatur confirmandis illorum animis, quos rumor quidam de imminenti fine mundi à seditiosis hominibus, suppositis etiam in eam rem ejusdem Apostoli litteris, sparsus

turbaverat. Explicat ea, quæ in priore 463.
de die judicii quasi instante dixerat, docens,
Christum non prius venturum, quàm Anti-
christus ipso Domini adventu destruendus
apparuerit. Otiosos homines verbis casti-
gat, eisque, nisi resipiscant, minatur
excommunicationem; cæteras verò persec-
utiones, ut æquo animo tolerent, hortatur.
Hujus Epistolæ tria numerantur Capita.

Veniunt deinde bina ad Timo- 629.
theum Epistolæ. Primam dedisse
creditur Apostolus è Macedoniâ an. Chr.
64. in qua et communia, et specialia
Episcoporum munera prosequitur; lec-
tionem sacrarum litterarum commen-
dat, simulque hortatur, ut modicò vini
haustu stomachi vitio succurrat. De Hy-
menæo, et Alexandro, quorum primus
resurrectionem mortuorum jam peractam
esse dictitabat, à se excommunicatis cer-
tiorem idem reddit. Sex constat Capitibus.

Duo textus in hac Epistolâ occurrunt 630.
difficultati alicui obnoxii. 1º c. 2. v. 11.
ait Apostolus, Mulier in silentio discat
cum omni subjectione. Docere autem mu-
lieri non permitto. Et tamen ad Tit.
c. 2. v. 3. ait: Anus similiter in habitu
sancto..... bene docentes. 2º
c. 4. v. 8. ait: Reposita est mihi corona jus-
titiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ
die justus Judex. At Eccliæ. 9. v. 1. di-
citur: Nescit homo utrum amore an odio
dignus sit.

Sed Resp. ad 1mum priori loco non
permittit quidem Paulus mulieri, ut publicè,
hoc est, in Ecclesiâ, vel in publico coetu do-

ceat, sed nullatenus vetat, imò suadet, ut privatim, et domi sapientes, prudentesque matronæ filias suas, ancillas, et cæteros domesticos erudiant de rebus ad salutem necessariis, prout secundò ad Titum loco innuit.

Ad 2dum cùm dicit Ecclesiastes, nescire hominem, an amore vel odiò dignus sit, intelligit, id sciri non posse naturaliter, quod non impedit, quominùs id divinitùs, et per revelationem cognosci non possit, prout cognoverat Paulus, quando asserit, sibi repositam esse justitiæ coronam à Dominò justò Judice reddendam.

631. Secundam dedit ex Urbe Româ, ubi demùm carceri manipatus erat jussu Neronis Imperatoris an. Chr. 65. et paulò antequàm martyrium subiret. In eâ Timotheum rogat, ut ante hyemem ad se veniat. Hortatur interim, ut Episcopi munera omnia implens, institutiones à se acceptas nunquam obliviscatur. Quatuor Capitibus absolvitur.

632. Occurrit etiam textus, in quo contrarium loqui videtur Apostolus, quod ad Titum scripsit: c. 4. v. 2. enim monet Timotheum dicens: Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina. Econtrà ad Titum scribens, c. 2. v. 15. ait: Argue cum omni imperiò.

Verùm Paulus his duobus loris cuilibet ex his binis Discipulis suis congruum distribuit monitum, Timotheo ferventioris animi vero patientiam; Tito autem, quia lenioris spiritûs erat, imperium, ut hic illum per lenitatem patientiæ temperet, hunc verò per æmulationis studium inflammet.

Duodecimô loco occurrit Epistola ad Titum Discipulum suum in Creta relictum. Nicopoli an. Chr. 64. Scripta creditur, quòd eum ibi venire jubeat. Munera Episcopi, et dotes ad implendum Pastorale officium requisitas Apostolus prosequitur, monens, ut contumacibus, et pervicacibus in faciem resistat, adjectis insuper ad omnes cujusvis conditionis homines imbuendos sapientissimis præceptis. Tribus capitibus absolvitur. 465. ~~466.~~ 633.

Decimô tertiô loco ponitur Epistola ad Philemonem. Data est Romæ an. Chr. 62. cùm primâ vice ibidem captivus detineretur Apostolus. Epistolæ occasionem dedit ~~Onesimus~~ Onesimi Philemonis servi furtum, cujus cùm cum pœnituisset, et postquam Romæ, quò Colossis Phrigiæ fugerat, ad fidem à Paulô adductus fuisset, et baptizatus, ab eodem cum hac Epistolâ ad herum suum hujus Apostoli Discipulum missus est. Ineâ Philemonis fidem, et Charitatem laudat, ut Onesimum recipiat, atque culpam ei dimittat, petit, utque sibi hospitium paret, scribit, nam spero, inquit, per orationes vestras donari me vobis. Omnium Pauli Epistolarum brevissima est, atque unicô capite concluditur. 634.

Decimò — quartò denique ponitur Epistola ad Hebræos scripta an. Chr. 62. vel cùm adhuc Romæ, vel saltem in Italiâ versaretur Apostolus. In eâ Palestinæ fideles forti ac gene- 635.

6208

~~476.~~ rosò animò in perferendis Judeorum infidelium persecutionibus esse jubet. Totus etiam est in asserendâ verâ justitiâ, quam non legalium observatio, sed fides et gratia Jesu Christi induunt. Probat etiam vetus Sacerdotium, Legalésque ceremonias, Sacerdotiô Jesu Christi, et Religione Christianâ succedente desiisse. Idius tredecim numerantur Capita.

636. De hac Epistolâ scisitantur Auctores. Non desunt, qui illam S. Clementi Papæ, vel S. Lucæ, vel S. Marco, vel S. Barnabæ Apostolo, vel Apollo, vel Paulo alteri ab Apostolô tribuerint. Imò etiam aliqui eam Tertulliano adscripserunt, sed immeritò, quippe cujus Tertullianus ipse meminit, atque S. Barnabæ adscribit; eamque respuerunt Tertulliano antiquiores Tatianus, Marcion, et Cajus*. Verum sententia, quæ illam Gentium Apostolo Paulo vindicat, invaluit.

N iii

* De pudicit. c. 20.

* Cajus in Dialog. adv. Proclum.

637. Scriptam ab ipso hebraicô, seu Syriacô tum hebræis vulgari, sermone plerique antiqui Ecclesiæ, præsertim Orientalis, Patres et Doctores censuerunt, ac deinde græcè redditam ab alio, nempe vel à S. Lucâ, vel à S. Clemente*. At græcè primùm, quemadmodùm reliquæ hujus Apostoli Epistolæ scriptæ fuerunt, enaratam existimat Huëtius*.

* Apud Euseb. lib. 3. Hist. c. 38.

638 Scriptam ante Templi eversionem satis convenit inter omnes. Dissident tamen in locô et annô, quo enarata fuit apignandô. Quamvis enim in câ fratrum Italiæ meminerit*, an tamen Roma et dum adhuc in vinculis erat, an verò post

* Demonst. Evang. prop. 1.

* c. 13. v. 24.

receptam libertatem, sive alibi in Italiâ 467. ~~471~~.
exarata fuerit, nusquam apparet.

De illius autoritate olim — dubi- 639.
tatum fuit, non ab Arianis tantùm, qui illam omninò rejiciebant, et ante illos à Marcionitis, qui corruptam dicebant, sed ab ipsâ Romanâ Ecclesiâ, et oriundentis, seu Latinis Ecclesiis, quæ in ferendô de illâ judiciô per aliquot sæcula hæserunt, quamvis, prout ostendemus, à primis hujus Ecclesiæ Patribus tanquam Pauli, et divina prius habita fuisset.

Lutherus, Prolog. Epist. ad Heb. quem sequuntur Brentius, In Confess. Witemb. Magdeburgenses, Cent. 1. lib. 2. col. 56. Kemnitius, In exam. Conc. Trid. et alii, hanc Epistolam nec Pauli esse, nec ullius alius Apostoli contendit, quòd, ut ait, quædam contineat contrâ Evangelicam, et Apostolicam doctrinam.

Erasmus ad finem Annotationum in hanc Epistolam, et Cajetanus ad initium Commentariorum in eandem, ita de eâ disserere videntur, ut tùm illius autorem, tùm autoritatem in dubium vocare eos autumare possis. Verùm contrà hos omnes ponitur

Conclusio.

640

Epistola ~~[illegible]~~ ad Hebræos sub nomine S. Pauli vulgata et ipsius est, et Canonica, divinéque autoritatis.

Prob. Conclusio 1.° Ex S. Scripturâ, 1.° Ex eâdem Epistolâ in qua S. Paulus Timothei Discipuli sui fait mentionem,

D. 29
209

~~472~~ ~~[illegible]~~. eúmque, ut in aliis Epistolis, fratrem suum appellat, necnon cum eo ad eos, quibus scribebat, venturum se spondet, c. 13. v. 23.

2.º Ex Epistolâ 2. S. Petri c. 3. v. 15. ubi Hebræos alloquens, expressis verbis ait, Charissimum fratrem suum Paulum ipsis etiam scripsisse. Atqui dubium non est, quin S. Petrus hoc loco S. Pauli Epistolam ad Hebræos exaratam indicare voluerit. Ergò p.

641. Ob. 2.do Autoritate Ecclesiæ tam Græcæ, quàm Latinæ. De Ecclesiâ Græcâ seu Orientali nullum est dubium, quin semper communi consensu ab ipsâ hac Epistola habita fuerit velut Canonica, et à S. Paulo exarata. Id præter Eusebium lib. 3. Hist. c. 38. testatur Theodoretus*, qui Arianis illam rejicientibus omnium Orientalium Ecclesiarum consensum objicit, in quibus scilicet Ecclesiis ab eo tempore, quo Apostolorum scripta accepêre, lecta fuit. Eusebius autem loc. cit. ait, eam S. Pauli esse omnes veteres credidisse. S. Hieronymus etiam idipsum testatur, quando Ep. ad Dardan. asserit, hanc Epistolam in Orientalibus Ecclesiis velut ab Apostolo Paulo scriptam semper susceptam fuisse.

(* Præf. Comm. in Epist. ad Heb.

Quantum verò ad Ecclesiam Latinam, quamvis Eusebii, lib. 3. Hist. c. 3. imò et ipsius S. Hieronymi loc. cit. et comment. in Isa. lib. 2. c. 6. tempore nondum ab omnibus recepta fuisset, tamen posteà universaliter apud omnes obtinuit, et adhuc obtinet. Imò sub nomine Pauli legitur in eâdem Latinâ Ecclesiâ in Die Natalis Domini, et aliàs frequenter.

Pb. 3°. Auctoritate Conciliorum, quæ eam sub nomine S. Pauli in Catalogo sacrarum Scripturarum collocant. Ut Concilium Laodicenum can. 59. Carthaginense III. can. 47. Concilium Romanum sub Gelasio I.. Imò eam à Concilio Nicæno agnitam fuisse tanquam Scripturam divinam, et à B. Paulo scriptam testantur S. Thomas, in hanc Epistolam; et Universitas Parisiensis in Censura ~~ma~~ facultatis Theologicæ tit. de Auctor. lib. N. T. Ut talis agnita etiam fuit à Conciliis Ephesino I. et Chalcedonensi approbantibus duodecim Capitula Cyrilli, quorum decimum testimonio cap. 3tii hujus Epistolæ firmatur his verbis: Et Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum Divina Scriptura commemorat. Neuon ab Aurelicano II. Can. ult. ubi et Apostoli hujus, et Divina Scriptura esse dicitur. Utque cætera taceamus, eam sub S. Pauli nomine in Scripturarum sacrarum Canonem recipit Concilium Tridentinum, Sess. 4. 469. 642.

Pb. 4°. Auctoritate Ecclesiæ Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum; ut Clementis I. Innocentii I. Ep. 3. ad Emperium. Gelasii I. in Concilio Septuaginta Episcoporum. Origenis, apud Euseb. lib. 3. Hist. c. 3. Ipsius Eusebii, Clementis Alexandrini, Theodoreti, Philastrii, in catalog. Hæres. Hæres. 88. qui eos Hæreticos nuncupat, qui hanc Epistolam rejiciunt, vel Pauli Apostoli esse negant. Pris vero à Latinis lectam non fuisse dicit quòd ab Hæreticis depravata, et additamentis quibusdam inquinata fuisset. Gregorii Nazianzeni, in carm. de Can. Script. 643.

470.

Autoris Synopseos. Epiphanii, Hæres. 76. Joannis Damasceni, lib. 4. c. 18. Hilarii, lib. 12. de Trinit. Ambrosii, lib. 2. de Cain. c. 12. Augustini, lib. 2. de Doct. Chr. Rufini, in Symb. Et Hieronymi, Ep. ad Dardan. et Ep. ad Evagr. Vide ea quæ supra part. 1. hujus Tractatûs. c. 5. de Canone Scripturarum, de hac Epistolâ disseruimus.

644. Denique Calvinus ipse lib. Instit. c. 8. §. 216. et post ipsum Calvinistæ omnes eam divinæ autoritatis esse censent, quamvis incerti autoris, quod ipsius autoritati nihil officit. Sociniani item, quamvis è re ipsorum esse videatur, ut ad Arianorum imitationem eam rejiciant, eam tamen divinam esse asserunt*. Imò ipsimet Lutheri Sectatores non modò eam in suis Bibliis legunt, sed esse pulcherrimam, et insignem à Discipulo quodam Apostolorum scriptam fatentur*; quo à mente Magistri sui Lutheri longè recedere videntur.

2. 210

γ * Socinus de autorit. Script. Sac. n. 2.

e * Raith. Vind. Vers. germ. Lutheri Thes. 22.

Solvuntur Objectiones contra Conclusionem positam.

545. Ob. 1.° Hæc Epistola initiò non præfert Pauli nomen, prout in aliis ipsius Epistolis præfixum invenitur. Ergò non est hujus Apostoli. Adeoque nec Canonica.

Resp. 1.° trans. totum Enthymema, et neg. Illatum. Etsi probari non posset, eam esse S. Pauli foetum, nihil tamen per hoc ejus divinæ autoritati detractum esset. Non enim hic tam de titulô idem, quàm de contextu quæstio esse videtur. Multique celebres Doctores tam antiqui, quàm recentiores, prout suprà adnotavimus, ac jusnam Apostoli sit hæc Epistola dubi-

tare visi sunt, Nec etiam Hæreticum quamquam forè arbitrari quis pace nostrâ poterit, qui eam Pauli esse negaverit, vel saltem dubitaverit. Nam non ex nomine duntaxat solùm, de veritate, et divinitate alicujus Scripturæ libri dijudicandum esse putamus, sed præcipuè ex iis, quæ tali librô continentur, atque Veterum Patrum, Romanorum Pontificum, Conciliorum, Ecclesiæque ipsius, idem inter divinos, et Canonicos Codices recensentis judiciô.

Resp. 2.º con. ant. neg. cons. Non enim hæc Epistola ideò Pauli non est, quia nomen ipsius præfixum non habet; aliàs manifestè sequeretur, inquit S. Hieronymus*, eam nullius esse, quia nullius nomen præfert. Sanè Epistola prima S. Joannis illius nomen præfixum non habet, nec tamen ullum dubium est, quin sit ipsius. È contrà Evangelia quædam, Thomæ, Bartholomæi, Jacobi, Nicodemi, nomen præferunt, et ab omnibus tamen tanquam apocrypha rejiciuntur. Justas proinde causas habere potuit S. Paulus, cur ad Hebræos scribens nomen suum Epistolæ suæ non præfigeret; tùm, ut ait Hieronymus*, quòd sciret nomen suum invisum esse Hebræis etiam ad fidem jam conversis, ut potè Legis Mosaicæ adhuc æmulis*, quam tamen ipse* abrogatam acerrimè contendebat; tùm ne visô illius nomine abeâ legendâ deterrerentur, ~~quam~~ ut ait idem Hieronymus*, quia in hâc ad Hebræos Epistolâ, cap. 3. videlicet, dicturus erat, Christum esse Apostolum confessionis nostræ, noluit initiô se, more solitô, Paulum Apostolum nominare, ne videretur se velle aliquâ ex parte cum Christô comparare; tùm denique, prout ait Theodoretus*,

f * Præf. in Ep. S. Pauli

g * Locuit.

h * Act. c. 1.

i * inc. 1. Ep. ad galath.

k * Præf. Comment. in Ep. ad Heb.

quia Paulus non erat Hebræorum Apostolus, sed gentium*: inde noluit more solito* inuipere Paulus Apostolus p. Sed satis ipsi fuit, nudam exponere doctrinam non quasi Apostolus et Magister eorum, sed ut amicus, et conuiuis; unde ad finem Epistolæ hæc ait: *Rogo autem vos fratres, ut sufferatis verbum solatii, etenim per paucis scripsi vobis*. quasi diceret, ne ægre feratis, si ego, qui proprius vester Apostolus non sum per litteras vos monere et cohortari voluerim, id enim feci, ut vos consolarer, non ut imperarem. Has etiam rationes attigit Clemens Alexandrinus, in Hypotyp.* quæ tamen mera sunt conjecturæ. Satis nobis esse debet, quod Antiqui Patres, ut Clemens I. Papa, qui S. Petri Discipulus fuit; Origenes; innumeríque alii testati sint, hanc Epistolam esse B. Pauli Apostoli.

640. Ob. 2do Stylus hujus Epistolæ multum differt à Stylo aliarum S. Pauli Epistolarum, ut potè gravior, copiosior, et ornatior. adde, quòd in eâ textus Veteris Testamenti adduantur non secundùm textum Hebræum, sed juxta Versionem græcam Septuaginta. Ergo alii, quàm Paulo, adscribenda videtur.

Respondent aliqui post Origenem*, hanc Epistolam non Hebraïcè sed græcè primùm scriptam fuisse, et quidem Pauli sententias esse, verba autem Lucæ, aut Clementis, quo tanquam Interprete et Amanuensi Paulus usus est. Theophilactus verò, Comment. in c. i. Ep. ad Heb. Clemens Alexandrinus, apud Euseb. lib. 6. Hist. c. ii. et ipse Eusebius, lib. 3. Hist. c. 38. contendunt, eam à Paulo hebraïcè scriptam, et in Græcum

l * Galath. c. 2.

m * c. 13. v. 22.

n * apud Euseb. lib. 6. Hist. c. 14 aliàs 11.

o * apud Euseb. loc. cit.

473.

translatam fuisse vel à S. Luca, vel à Clemente, unde mirum non est, quòd illius Stylus differat à Stylo aliarum ejusdem Apostoli Epistolarum, ipsáque cæteris sit elegantior, copiosior, et ornatior: nec mirum etiam est, quòd, cùm græcè initiò scripta, vel saltem statim in Græcum translata fuerit, ipsius Scriptor, vel Translator loca Veteris Testamenti juxta Græcam Septuaginta versionem, quæ tunc temporis etiamnum à plerisque Palestinæ Judæis legebatur, in eâ adduxerit.

Ob. 3tiò Hujus Epistolæ Auctor iis se adnumerat, qui ab Apostolis ad fidem conversi fuerunt, ut legere est c. 2. Cùm tamen Paulus Galath. c. 1. apertè dicat, se non ab homine sed à Christo per revelationem didicisse Evangelium. Ergo &c. 647.

Resp. 1o Apostolum hæc eloqui non de se ipso, sed de hæ ætatis hominibus, quemadmodum Isaias c. 64. in personâ populi dicit, futi sumus ut immundi omnes nos, ... non est, qui invocet nomen tuum &c. quo locò non de se ipso loqui Isaiam potest, quia ibidem longâ oratione Deum invocat.

Resp. 2o Non videtur absurdum quòd Paulus se iis adnumeret, qui ab Apostolis confirmati sunt: non enim hic agit de confirmatione per doctrinam, sed per miracula; ait enim, salutem, idest, salutis prædicationem

confirmatam esse per Apostolos contestante Deô signis, et prodigiis. Quis autem neget, Paulum, quando conversus est etsi Evangelium per revelationem plenè didicerit, tamen confirmatum fuisse in fide auditis miraculis Petri, et aliorum Apostolorum, et præsertim cô miraculô, quo ipse per manus Ananiæ lumen oculorum recepit?

648. N. 4.to c. 9. v. 4. dicitur, in Arcâ Testamenti fuisse urnam auream habentem manna, virgam Aaronis, et duas Tabulas Testamenti. At 3. Reg. c. 8. v. 9. sola Tabulæ dicuntur fuisse in Arcâ.

Resp. 1.o Tempore quidem Salomonis non fuisse in Arcâ aliud, quàm Tabulas Legis, ut dicitur 3. Reg. 8. tamen postèa à Judæis positas fuisse intra Arcam etiam Urnam, et Virgam; idque Paulus ex Traditione scire potuit. Ita Theophilactus, qui etiam ait, hi temporis Hebræos id etiam sensisse. Cotè Auctor lib. 3. Reg. cum dicit: In Arcâ autem nihil erat aliud nisi duæ tabulæ præcisè de tempore Salomonis loqui videtur, non de eo, quo scribebat; adeoque videtur innuere, hô tempore in Arcâ aliquid aliud adhuc fuisse, quod in eâ non erat tempore Salomonis, ita ut dicere voluerit, etsi nunc alia quædam sint in Arcâ præter Tabulas Legis, tamen eo tempore, quo Arca in Templum à Salomone adducta fuit, nihil in eâ erat præter duas Tabullas.

L. 212

Resp. 2°. Urnam, et Virgam in parte aliquâ exteriore Arcæ, non intra ipsam fuisse: unde cùm Paulus ait, in Arcâ fuisse præter duas Tabulas legis Urnam, et Virgam, præpositio in idem significat ac cum seu juxta: ergo in Arcâ seu cum, et juxta Arcam erat Urna illa cum manna, et Virgâ Aaronis, seu ad latus, vel juxta latus Arcæ; at in ipso interiori Arcæ sinu nihil præcisè aliud, præter duas Testamenti Tabulas, erat. 475.

Ob. 5.tò Jb. v. 20. Auctor hujus Epistolæ loquens de Testamentò propriè dictò, quod morte Testatoris confirmatur, allegat verba Exodi c. 24. v. 8. Hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad nos Deus. Atqui in Exodò secundùm hebraïcam veritatem nulla fit mentio Testamenti alicujus, sed pacti; vox enim Berith, quæ ibidem legitur, pactum significat duntaxat. Ergo 049.

Resp. 1°. Vocem hebræam Berith rectè verti Testamentum, sic enim vertêre Septuaginta, nam Diathyky græcum, quod habent, idem significat, ac Testamentum, prout aperit Hieronymus, in c. 2. Malach. Apostolus ipse Rom. 6. Galath. 3. et 4. et alibi loquens de Lege veteri, semper Testamentum vocat id, quod Hebræi dicunt Berith; imò adeò trita est in Ecclesiâ vox ista Testamentum pro hebraïcâ Berith, ut nihil frequentius dicamus, vel audiamus, quàm Testamentum Vetus et Tetamentum Novum.

Resp. 2°. Promissio vita æterna de quâ per figuras in Testamento Veteri, et apertè in Novo agitur, simul Testamentum, et pactum est; Testamentum quidem, quia continet dispositionem de hæreditate æternâ dandâ filiis Dei, quæ ante morte Testatoris rata non fuit; Est etiam simul et pactum ista Dei promissio, quia habet annexam conditionem: non enim vult Testator Deus dare hæreditatem æternam nisi iis, qui leges suas servaverint; et hâc ratione dicitur fœdus, et pactum. Jam ergo de eâdem re loquuntur Moyses Exod. 24. et Paulus Heb. 9. Moyses quidem vocat pactum, at non intelligit quodcunque pactum, sed pactum de dandâ hæreditate post mortem Testatoris; et propterea sanguinem aspersit in populum, qui sanguis figura fuit sanguinis Christi pro nobis effundendi. Paulus autem vocat Testamentum, sed intelligit de Testamento non qualicunque, sed quod simul sit pactum.

650. Ob. 6tò Idem Auctor ait c. 6. v. 4. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, iterum renovari ad pœnitentiam. Item c. 10. v. 26. Voluntariè peccantibus.... post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. Denique c. 12. v. 17. ait, Esau non invenisse pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam. Quæ omnia doctrinæ Christianæ repugnare videntur, atque illi effato Christi: Venite ad me omnes &c. Matth. c. 11. v. 28.

Resp. 1°. Non magis hæc Apostoli verba pugnant cum illo Christi, Venite ad me omnes &c. quàm pugnent alia Christi ipsius verba apud eundem Matthæum c. 2. v. 31. ubi dicit, Blasphemiam in Spiritum Sanctum nec in hoc nec in futuro sæculo remitti. Apostolus ergò non de quocunque peccatore loquitur, sed de eo, qui peccat in Spiritum Sanctum, id est, qui voluntariè oppugnat cognitam, et exploratam veritatem. Hujusmodi peccata autem tribus ex causis irremissibilia vocantur: 1°. quia ut plurimùm tales peccatores non convertuntur, nec proinde hujusmodi peccata remittuntur, licèt contrarium absolutè contingere possit, et aliquandò eveniat. 2°. Quia, qui in Spiritum Sanctum peccant, directè resistunt gratiæ, sine quâ peccatum dimitti non potest. 3°. Quia, qui peccat ex malitiâ, nihil habet in se, undè remissionem mereatur, et propterèa ipsius peccatum dicitur irremissibile, quamvis absolutè remitti possit.

Resp. 2°. Ad singulos textus. Primò loco loquitur Apostolus de renovatione ad pœnitentiam, quæ fit in Baptismò, non adeam, quæ fit in reconciliatione post Baptismum. Ita exponunt SS. Patres, Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius, Theophylactus, Sedulius, Augustinus, Anselmus, in hunc locum. Et verò, quòd Apostolus hic de Baptismò loquatur, satis apertè innuunt

ca, quæ subjungit, nempe: Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ fidei Baptismum &c. Item illa: eos, qui semel sunt illuminati; nam apud Dionysium, seu Auctorem Hierarchiæ Ecclesiasticæ c. 2. et alios Veteres Baptismus dicitur Illuminatio, quia est Sacramentum fidei. Et hæc, Rursum renovari; nam, ut S. Augustinus docet, Expos. Ep. ad Rom. per Baptismum proprie renovamur, per reconciliationem curamur. Denique ista, Iterum crucifigentes filium Dei; nam in Baptismo repræsentamus Christi mortem, et sepulturam, ut dicit Apostolus ipsemet Rom. 6. Et sicut Christus semel tantum mortuus est, ita et nos semel tantum baptizari possumus. Apostolus ergo adversus fidei desertores disputat, docetque, neminem sperare debere, se, post Baptismum in Ecclesiâ susceptum, alibi posse jacere aliud fundamentum, et invenire aliud Baptisma; id enim omninò impossibile est, cùm unum sit tantùm verum Baptisma, nec repeti possit.

Eundem sensum habet secundus textus: Verè etenim voluntariè peccantibus, id est, à jam cognitâ, et susceptâ fidei veritate recedentibus non relinquitur hostia pro peccato; non quia non est locus pœnitentiæ, sed quia nulla est verè efficax hostia, nisi mors Christi, quam illi sua apostasiâ contemnunt; nec enim alius Christus inveniri potest, nec alius Baptismus, in quo mors ejus exhibeatur.

Ad 3tium dicimus, Etsi duobus modis non invenisse locum pœnitentiæ; uno

modò apud Patrem suum, quia res perdita erat irrecuperabilis; altero modò apud Deum, quia non rectè poenitentiam egit, prout S. Chrysostomus hunc locum exponit. Apostolus igitur deterrere volens homines à lapsu proponit incertum poenitentiae eventum; ut enim Esau non potuit recuperare hereditatem, quia erat irrecuperabilis, ita peccator non potest recuperare innocentiam, virginitatem, &c. Et quemadmodum Esau non rectè egit poenitentiam, quamvis flleverit, et idèo Deum non placavit, ita saepè peccatores poenitentiam agere videntur, et tamen Deum non placant, quia non agunt poenitentiam, ut oportet.

Ob. 7mo Auctor hujus Epistolae c. 10. 651.
ad probandum Christum esse filium Dei infirmò planè utitur argumentò; adducit enim hanc in rem illud 2. Reg. c. 7. Ego ero illi in Patrem. quae verba sensu litterali, ex quo solida duntaxat pro Christianâ Religione petuntur argumenta, nonnisi de Salomone intelliguntur. Atqui longè perspicacior erat S. Paulus, quàm ut tam infirmò ad probandum praecipuum Religionis Christianae Caput, argumentò uteretur.

Resp. Eodem modo argumentatur idem Apostolus Rom. c. 10. et 1. Cor. c. 9. Neque tamen dici potest non habere illum Auctorem, vel eum solidè non argumentari. Argumentum igitur hujus Apostoli ideò fortissimum est, quia illi ipsi, ad quos scribebat, Salomonem typum Christi gestisque admittebant, nec id negare poterant, ut

probat S. Augustinus, lib. de Unit. Eccles. c. 8. Nam et 2. Reg. c. 7. et Psal. 71. dicuntur multa de Salomone, prout erat figura Christi, ut illud: Stabitiam regnum tuum in æternum. Et illud, Dominabitur à mari usque ad mare: et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei, p. Familiare quoque erat Hebræis Scripturæ verbis sensum mysticum, et Allegoricum tribuere, ut constat.

Porrò si in recensendis S. Pauli Epistolis temporum, quibus scriptæ fuerunt, atque Chronologiæ ordinem servare velimus, primò locò ponere oportebit binas, quæ sunt ad Thessalonicenses, hæ enim an. Chr. 52. exaratæ perhibentur. Sequuntur deindè Epistola ad Galathas, an. 56. Ad Corinthios, duæ, an. 57. Ad Romanos, una, an. 58. Ad Philippenses, una; Ad Colossenses, una; Ad Philemonem, una; Et ad Hebræos, una, an. 62. Ad Timotheum, prima, Et ad Titum, una, an. 64. Et denique ad Timotheum, secunda, an. 65.

652. De Septem Epistolis Catholicis
seu Canonicis.
Earumque Autoribus.

Græci Catholicas seu Universales appellarunt Septem illas Epistolas, quas sub hoc nomine inter sacra Novi Testamenti volumina legimus, quia plerique earum Ecclesiis particularibus scriptæ non fuerunt quemadmodum S. Pauli Epistolæ. Verisimile est, ideò etiam Canonicas, præsertim in Ecclesiis Occidentis, vocatas fuisse, tum quia

ex variis aliis, quæ sub Apostolorum nomine circumferebantur selecta, ac in Canonem rejectis aliis ab Ecclesiâ relata fuerunt; tum quia etiamnum de illarum quibusdam dubitatum in Ecclesiâ fuit, num inter libros Canonicos essent recensendæ.

Hoc porrò ordine in nostris, ut et in Græcis Biblijs collocantur. Epistola S. Jacobi Apostoli. Duæ S. Petri. Tres S. Joannis. et denique una S. Judæ. Tempore tamen S. Hieronymi, seu Auctoris Prologi in Septem Epistolas Canonicas exemplaria Latina alio ordine eas recensebant, collocatis scilicet primò loco duabus S. Petri, ut, inquit idem Auctor*, quòd Petrus primus in ordine Apostolorum, primo etiam sint ejus Epistolæ in ordine cæterarum. Verùm hâc ratione etiam ante Epistolas S. Pauli collocari debuissent.

* Hieron. Prolog. in 7. Ep. canonic.

De Jacobo Apostolo, ejusque Epistolâ.

Jacobus Apostolus Alphæi filius, ob religiosa et castissima vitæ meritum cognomento Justus*, quem Paulus Galath. c. 1. v. 19. fratrem Domini appellat, Marcus verò* Jacobum Minorem, ad distinctionem Jacobi filii Zebedæi ac Salomes fratris Joannis Evangelistæ, qui, quòd ætate illum superaret, Major dictus est; primus fuit Jerosolymæ Episcopus.

* Clem. Alexand. et Hegesipp. apud Euseb. lib. 2. Hist. c. 1.
* cit. v. 40.

Nonnulli, apud Hieronymum*, existimarunt, eum fuisse filium Joseph ex aliâ quàm Dei genitrice Mariâ, uxore*. At ex communi sententiâ parentes habuit Cleo-

* De Script. Eccl. In Jacobo.
* Epiph. apud Sint.
* Senens. Bib. Sanct. lib. 1.

pham, alio nomine Alphæum dictum, et Mariam Beatæ Virginis Sororem germanam*; quare Jesu Christi consobrinus habebatur; statimque post passionem Domini ab Apostolis Jerosolymorum Episcopus ordinatus est.

* Hieron. loc. cit.

Cùm igitur Evangelium ibidem propagaret, Judæi populi Optimatum invidiam in se concitavit: Hi ergò captâ occasione obitûs Festi Judææ pro Romanis Præfecti, et absentiæ Albini illius Successoris è Templi pinaculô Jacobum præcipitem egerunt: ille ex lapsu adhuc superstes, illum pro inimicis suis genibus flexis ad Deum preces fundit, Annani Annæ Summi Sacerdotis filii jussu lapidibus obrutus est*, ac tandem fudonis fusta confractô capite animam efflavit*; Sepultúsque est in eôdem locô juxta Templum, ubi martyrium consecraverat, ejúsque monumentum ibidem erectum celeberrimum fuisse dicitur usque ad eversionem Urbis per Romanos factam*.

* Joseph. Antiquit. l. 20. c. 8.

* Clem. Alex. Euseb. Epiph.

* Euseb. lib. 2. Hist. c. 23.

655. Ipsius nomine libri nonnulli à veteribus Hæreticis suppositi fuerunt; ut Proto=Evangelium S. Jacobi, quod adhuc extat, et Orientalibus notissimum est. Liturgia ejus nomine inscripta, quæ etiam superest.

Verùm unica Epistola, eâque, de quâ nunc agimus, in censu Canonicarum Scripturarum ab Ecclesiâ reponitur; cujus apud nos quinque numerantur Capita; Græci autem eam in septem capita distinguunt.

656. Datam fuisse credimus paulò ante ipsius obitum, qui ad annum Christi 62. consignatur. Duodecim Tribubus per varia loca dispersis generatim est inscripta. In

eâ bonorum operum necessitas adstruitur adversus pravam quorumdam interpretationem, qui S. Pauli dictô, fidem nempe, non autem opera legis justificare, abutebantur.

Quamvis ad Judaos dispersos sit directa Græcô tamen sermone conscripta fuisse creditur, cùm in adducendis ex Veteri Testamentô locis Septuaginta Interpretum Versionem sequatur, nemon Græca lingua apud Orientales etiam Judaos vulgò eo tempore jam obtinerct.

De hâc Epistolâ an verè Apostolica esset, quosdam olim dubitasse memorat Eusebius, lib. 3. Hist. c. 25. ut et Hieronymus, lib. de Vir. Illust. Lutherus autem in Prolog. hujus Epist.* Brentius, Kemnitius, et Centuriatores Magdeburgenses, loc. sup. cit. eam prorsus contemnunt, Lutherusque Stramineam vocat. Erasmus verò in annotationibus ad hanc Epistolam, illam non redolere Apostolicam auctoritatem affirmat. De ipsius Auctore dubitat Cajetanus; unde et minoris auctoritatis eam, quàm cæteras esse vult. Contra quos omnes ponitur

657.

6

* edit. germ. prim.

Conclusio.

Epistola Jacobi Canonica est, et Apostolica.

658.

Prob. Conclusio 1.° Ex Conciliis Laodicenô, Carthaginensi III. Milevitanô, Can. 7. Florentinô sub Eugeniô IV. et Tridentinô passim jam laudatis, quæ illam sub S. Jacobi Apostoli nomine in sacrarum Scripturarum Catalogô collocant;

484.
~~488.~~
659. Prob. 2.do autoritate Summorum Pontificum Innocentii I. Ep. ad Eugenium, Gelasii I. in Concilio Septuaginta Episcoporum, qui illam et Canonicam, et Jacobi Apostoli esse declarant.

Alia adhuc antiquiorum Romanorum Pontificum monumenta, ut Clementis I. Epistolam Secundam, Anacleti, Urbani I, Alexandri I. Marcelli I. pro autoritate hujus Epistolæ adducunt Melchior Canus, de Loc. Theol. lib. 2. c. ii. et Sixtus Senensis, Bibl. Sanct. lib. 7. Hæres. 9. Verùm quia hæc monumenta aberuditis conficta, hisque Summis Pontificibus falsò adscripta censentur, ea hic in tantùm duntaxat valere volumus, quòd scilicet, si non ab his Summis Pontificibus profecta sint, saltem veterum quorundam Scriptorum autoritatem obtineant.

660. Prob. 3.tio autoritate Ecclesiæ ipsius, quæ præcipuè ex c. 5. v. 14. hujus Epistolæ Sacramentum extremæ unctionis priùs in Evangeliò S. Marci insinuatum confirmet. quemadmodùm ex Decretò Innocentii I. atque ex iis, quæ post ipsius tempora celebratæ fuerunt Synodis constat.

661. Prob. 4.to autoritate SS. Patrum, et præter illos, quorum testimonia supra part. i. c. 5. adduximus, hujus Epistolæ tanquam divinæ autoritatis meminerunt Dionysius, de Divinis Nominibus. Hieronymus Ep. ad Paulin. de Studiò Scriptur.

Augustinus, lib. 2. de Doct. Chr. Ruffinus, in expos. Symb. Isidorus, lib. 6. Etymolog. Damascenus, lib. 4. c. 18. et alii. 485.

Prob. 5.to testimonio ipsorum nostræ Religionis Adversariorum, qui communi consensu hanc Epistolam velut Canonicam, et divinæ auctoritatis suscipiunt. Ut Calvinus, qui, ad recipiendam, inquit*, hanc Epistolam sufficit mihi, quòd nihil Apostolo Christi indignum contineat. Eum sequuntur ipsius Sectatores, qui unanimiter illam velut Canonicam suscipiunt. 662.

* Comment. in Ep. Jacobi.

Socinus illam non modò tanquam Canonicam, sed etiam velut à Jacobo Apostolo scriptam recipit, atque illius traditionem probat auctoritate veterum exemplarium Syriacorum*.

* De aut. S. Script. c. 1. n. 2.

Imò Lutherani, non obstantibus objectionibus, quas illorum Magister Lutherus adversus hanc Epistolam effutiit, modò eam recipiunt non secus ac Catholici, atque sacris Scripturis adnumerant, ajuntque*, post majorem illuminationem, ut dies diem docet, verba illa durissima, quibus nempe eam Stramineam vocabat Lutherus, in posterioribus ipsius Sacrorum Bibliorum editionibus omissa fuisse, nec post annum 1526. in ullâ amplius editione Stramineam eam vocari.

* Raithius Vind. Vers. German. Luther. Thes. 21.

Prob. Denique 6.to ratione Theologicâ ab ipso Calvino desumptâ. Hæc Epistola nihil contrà fidem et bonos mores continet, quin potiùs etiam; et istos apprimè commendat, nec proinde quidquam Apostolo indignum habet. Ergo meritò Canonicis Scripturis adnumeratur, atque inter divinos Sacræ Scripturæ Codices ab Ecclesiâ recensetur, p. 663.

Solvuntur Objectiones adversus positam Conclusionem.

Ob. 1º Eusebius, et Hieronymus supra citati testantur, hanc Epistolam universim ab omnibus suâ ætate receptam non fuisse velut Canonicam, et Apostolicam, ac paulatim procedente duntaxat tempore obtinuisse auctoritatem. Ergò et nunc de eâ dubitare fas est; ut pote quòd testimonia, et Traditio, quibus ipsa ad hoc, ut Canonica dici et esse posset, fulciri deberet, inter se non conveniant.

Resp. neg. cons. Profectò Eusebius citatis lib. 2. Hist. c. 23. et lib. 3. c. 19. asserit, hanc S. Jacobi Epistolam suâ ætate publicè legi in plerisque Ecclesiis. Et quamvis veteres aliqui iique pauci, de hâc Epistolâ dubitare visi sint, satis est ut tanquam Canonica agnoscatur, quòd sæculis sequentibus sufficientia monumenta fuerint inventa, quibus hæc Epistola libris Canonicis Novi Testamenti accenseretur, omnesque totius mundi Ecclesiæ eam ut talem modò suscipiant. Nec paucorum Veterum dubitatio tot Patrum, Conciliorum, Ecclesiarum pro eâdem Epistolâ testimoniis quidquam officere potest.

* edit. Christophorson.

665. Ob. 2dò Auctor illius est omninò incertus, nec hactenus innotuit quis ille Jacobus sit, qui eam scripsisse dicitur. Ergò et ipsa incertæ est auctoritatis, adeoque nec Canonica.

Resp. 1º trans. ant. neg. cons. Etsi enim certò statui non posset, quinam ille Jacobus fuerit, qui hanc Epistolam scripsit, id non obest, quin velut Canonica ab omnibus suscipi possit, ac debeat; Sufficit enim, quòd nihil Apostolò Christi indignum con-

tineat, atque à quodam Christi Discipulô, et Apostolô enarata fuerit.

Resp. 2d. neg. ant. Omnia à nobis adducta Patrum, Conciliorum, Pontificum Romanorum, necnon ipsius totius Ecclesiæ testimonia declarant, eam Scriptam fuisse à S. Jacobô Minore Alphæi filiô.

Ob. 3tiô Auctor hujus Epistolæ non utitur solitâ Apostolorum salutatione, sed merè profanâ, ut qui in eâ nec de Jesu Christô, nec de ipsius gratiâ et pace quidquam memoret, imô nec se Apostolum nominet, sed servum duntaxat Jesu Christi his verbis: Jacobus Dei, et Domini nostri Jesu Christi servus, Duodecim Tribubus, quæ sunt in dispersione salutem. Quæ salutatio apud Gentiles duntaxat fuit usitata. Ergo et ipsa Epistola profana est, nec alicujus Apostoli, &c. 666.

Resp. 1o neg. ant. Quod si ista salutatio profana est censenda, magis profectô profana est illa, quæ habetur Act. 15. necnon ab Apostolis ex Conciliô Jerosolymitanô ad Gentes Scribentibus usurpata fuit his verbis: Apostoli, et Seniores fratres his, qui sunt Antiochiæ, Syriæ, et Ciliciæ fratribus ex gentibus salutem. Atqui nullus, nisi stolidus, et vesanus hanc Apostolorum salutationem ut profanam reprehendere audebit, aut ob eam Epistolam illam ab Apostolis ad Gentium fideles Scriptam iis abjudicare; ergo etiam infamis reputetur, oportet, quisquis adductam S. Jacobi Epistolam ut profanam reprehendere, aut eidem abjudicare ausus fuerit. Neque etiam S. Joannes Apostolus solitâ Apostolorum salutatione primam et tertiam Epistolas suas orditur; neque

S. Paulus in Epist. ad Philippenses, in utraque ad Thessalonic. et ad Philemon. se vocat Christi Apostolum; quæ tamen perindè non minùs certò horum Apostolorum esse censentur.

Resp. 2.º Neg. quòd in illâ Salutatione nullam Dei, et Jesu Christi mentionem faciat; contrarium enim patet ex ipsis Salutationis verbis, quibus se Servum Dei, et Domini nostri Jesu Christi nominat. Nec enim ullum alium titulum sibi assumere poterat, qui ministerium suum magis exprimeret, præsertim cùm Judæis scriberet, qui Veteris Testamenti lectione titulo Servi Dei jamerant assueti. Et cùm hæc alia verba addit: Et Domini nostri Jesu Christi, declarat, se esse unum ex Ministris novæ Legis à Messiâ annuntiatæ. Quòd autem in hac Salutatione se Apostolum non nuncupet, id non obest, quominùs Christi Apostolus, et Discipulus fuerit, ut qui se Servum ipsius, idest, Ministrum dicat. Arbitramur porrò, id eum cautè fecisse, ne videlicet ili dispersi Judæi, ad quos scribebat, arbitrarentur, se velle illis persuadere, quasi esset eorumdem Apostolus, cùm tamen Hierosolyma duntaxat esset Apostolus.

667. Ob 4.tò Hujus Epistolæ Autor c. 1. v. 12. ait, quòd Deus neminem tentet. At Genes. c. 22. v. 1. dicitur: Tentavit Deus Abraham. Et Deuter. c. 13. v. 3. Tentat vos Deus vester. Ergo &c.

Resp. Duplex est tentatio, una seductionis, quæ nempè inuitat ad peccatum, altera probationis tantùm, quæ est ad majus meritum, meliorémque coronam. De priori loquitur S. Jacobus, dum ait, Deum neminem

2. 218

tentare. De hac verò est sermo in Genesi, et Deuteronomio; hac enim solâ probationis tentatione dicitur Deus tentare, ut det luctæ materiam, victoriæ meritum et gloriæ.

Ob. 5.to Idem Auctor ab analogiâ doctrinæ Apostolicæ multùm aberrat; c. 2. v. 14. 17. 24. et seq. namque justificationem non soli fidei, sed operibus adscribit; cùm tamen S. Paulus Rom. c. 3. v. 28. et c. 4. dicat hominem justificari ex fide sine operibus. Imò pretensus Jacobus iste in hac suâ Epistolâ de opere Christi, et doctrinâ fidei nihil commemorat, sed sola opera commendat. Ergò nec Apostolica est. p.

668.

Resp. cum S. Augustinô* neg. ant. Non enim pugnant inter se hi duo Apostoli: nam Paulus loquitur de primâ justificatione, qua homo fit justus ex injustô, et nomine operum intelligit opera, quæ fiunt sine fide, et gratiâ, solis nempè liberi arbitrii viribus. Jacobus autem loquitur de secundâ justificatione, qua quis ex justô fit justior, juxta idem Apocalyp. ult. Qui justus est, justificetur adhuc; et nomine operum intelligit opera, quæ fiunt cum fide, et auxiliô gratiæ Dei. Jacobus ergo adversùs eos, qui malè intellectis S. Pauli sententiis Rom. c. 3. et 4. nolebant benè operari, de solâ fide præsumentes Abrahami opera commendat, cujus fidem Paulus laudat. Juxta Paulum ergò Abraham justificatus est ex fide tanquam ex radice, et fundamentô; secundùm Jacobum justificatus est ex operibus tanquam ex fructu, et superædificatione. Sunt ergo inter se concordes. Vid. S. Aug. de fide* p.

* Præf. in Psal. 31.

* Aug. de fid. et oper. c. 14.

490.
~~497.~~ ~~[illegible]~~
669.

De Epistolis B. Petri Apostoli.

S. Petrus Princeps Apostolorum à Christo constitutus, Bethsaidâ oriundus, filius Joannis et S. Andreæ Apostoli frater*, primùm Simon, vel Simeon, deinde ubi ad Apostolatum vocatus fuit, Cephas nomine Syriaco, quod Petram significat à Christo nuncupatus est. Ædes habebat in Capharnaum ad lacum Genesareth, ubi uxor, et socrus ejus morabantur*.

i * Joan. c. 1. v. 43. et 44.

k * Marc. c. 1. v. 29. Matth. c. 8. v. 14. Luc. c. 4. v. 38.

Andreas omnium primus à Christo invitatus, cùm fratrem obvium habuisset, asserens se Messiam invenisse ei persuasit, ut secum ad eum veniret*, an. Chr. 30. vel circiter. Vix Petrum intuitus Jesus, et nomen ipsius, et genus prodidit; tum ait, in posterum Cephas, idest, Petra appellaberis. Romæ martyrio coronatus est anno Chr. 66. unanum Beato Paulo Apostolo, vel ut alii volunt an. Chr. 67.

l * Joan. c. 1. v. 41.

672. Duæ in Sacrarum Scripturarum Codice referuntur ejus Epistolæ, quarum prima Scripta creditur an. Chr. 50. Ei scribendæ, uti et phrasibus suggerendis operâ Marci usum Apostolum tradunt; tabellionem verò habuisse Sylvanum, eundem fortasse ac Silam in Actibus Apostolorum celebrem. Scripta est Babylone, idest, Roma, prout interpretantur Eusebius, lib. 2. Hist. c. 15. Hieronymus*, De Vir. Illust. c. 8. et Oecumenius, In 1. Pet. c. 5.

Inscripta est ad fideles Bithyniæ, Ponti, Galatiæ, Asiæ, et Cappadociæ. Quamquam autem fideles ex Judæis potissimùm respiciat, fideles tamen ex Ethnicis non negligit. Græco sermone, et dignâ Principe Apostolorum energiâ est exarata. Ejusquinque

sunt capita, in quibus totus est in tradendis vi-
ta Christiana preceptis.

Secundam ad eondem dedit paulò ante 670.
obitum suum, annò nempe 66. Christi. In
eâ fideles hos etiam atque etiam monet, ut
tradita ab Apostolis doctrina adhereant, bo-
norum scilicet operum exercitiò, nihil cu-
rantes ea, quæ à pravis Doctoribus, Secta-
toribus nempè Simonis Magi, ut vulgò credi-
tur, jactabantur. Sermo in illâ incidit
de Pauli Epistolis, quas Petrus laudat, addens,
ab indoctis aliquibus eas in pravum sensum
detorqueri. Tria sunt illius capita.

De illius autoritate olim quidam 6
dubitare visi sunt, ut tertantur Origenes,
Tract. 5. in Joan. et Hom. 13. in Genes. Item
Hom. 7. in Joan. Eusebius, lib. 3. Hist. c. 19.
et Hieronymus, de Script. Eccles. in Petro. No-
viter verò Lutherus. Sit

Conclusio.

Hæc secunda S. Petri Epistola est verè 671
ab ipso conscripta, et Canonica.

Prob. Conclusio 1.º Ex ipsamet Epistolâ
ac quidem 1.º se ipsum illius Autorem esse
Petrus ipse statim prodit ipsius Epistolæ ini-
tiò, cùm hisce cam[illegible] exorditur: Simon Pe-
trus servus, et Apostolus Jesu Christi, c. 1. v. 1.
2.º Ibidem disertis verbis testatur, se Chris-
to adfuisse, cùm in monte sanctò transfigu-
raretur, à v. 16. usque ad 18. 3.º c. 3. v. 1. tes-
tificatur, se priorem Epistolam jam ad ipsos
dedisse, seu scripsisse. 4.º denique eodem
c. 3. v. 15. et 16. mentionem facit Epistolæ ad
Hebræos aliarumque à B. Paulo exaratarum
quem charissimum fratrem suum appellat.

Ergo dicere oportet, vel S. Petrum hujus Epistolæ Autorem esse, vel impudentissimum quemdam mugatorem, et impostorem, qui turpiter nobis imposuerit, ut se fidelibus omnibus pro Petro venditasset. Atqui hoc dici non potest: quî enim unquam fieri potuisset, ut SS. Patres, universáque Ecclesia, quæ utique errare non potest, hunc circulatorem inter Sacros Scriptores computasset, et in Conventibus fidelium ejus libros in Sacris etiam mysteriis legi jussisset? Ergò dici debet illius autorem verè esse Petrum.

672. Prob. 2.º Autoritate Veteris Ecclesiæ Patrum, ut Origenis, Eusebii, Hieronymi, locis supra citatis. Clementis Alexandrini, in lib. Hypotyp. Autoris Synopsis. Gregorii Nazianzeni, in Carmine. Et aliorum, qui eam età S. Petro Scriptam, et Canonicam esse tuentur.

673. Pb. 3.tiò Autoritate Conciliorum, quæ Sacrorum librorum Catalogum ediderunt, cui eam quoque attexuerunt: Necnon Universalis Ecclesiæ, quæ, ut primùm dictum est, eam Sacris Scripturis accensuit, atque in fidelium conventibus, necnon Sacris mysteriis eam legi jussit, et jubet.

674. Pb. 4.tò testimoniò Catholicorum, ut Calvini, qui argument. Innocent. in 2. S. Petri Epist. ait, quod omnibus ejus partibus Spiritus Christi se manifestet, ubique consentire doceret, si idam rejiceret. Flavius quoque Illyricus Centuriatorum Magdeburgensium principibus Glossas quoque in hanc Epistolam Scripsit, quin ullatenus dubitaret, eam

esse illius, cujus nomen praefert, scilicet S. Petri Apostoli. 493.

Objicitur quidem, quòd hujus Epistolæ Stylus prorsùs differat à Stylo prioris S. Petri Epistolæ, adeoque non videatur esse illius, sed alicujus alterius, consequenter nec Canonica. 675. 4 220 m

Respondet S. Hieronymus*, hanc Stylì diversitatem adscribendam esse variis, quibus S. Petrus pro rerum necessitate usus est, Interpretibus. Testatur quoque Clemens Alexandrinus, lib. 7. Strom. non modò S. Marcum, sed et Sanctam quemdam eandem Epistolam interpretatos fuisse. Imò in Novo Testamento fit mentio eorum, qui primis illis Apostolicis temporibus Interpretum munere fungebantur. Igitur ex binarum harum Epistolarum Stylì diversitate, Interpretum Imitanat, non verò Autorum Diversitas inferri potest, aut debet. * Ep. ad Hedib. quæst. 11.

De Epistolis S. Joannis Apostoli. 676.

Tres numerantur apud nos hujus Apostoli Epistolæ, quarum prima ex Veterum traditione, prout testatur S. Augustinus*, ad Parthos est directa. Inca quinque capitibus explicatur Incarnationis Dominicæ veritas, et Oeconomia, traduntúrque varia Documenta tùm ad fidem, tum ad mores pertinentia. n * Quæst. in Evang. lib. 2. c. 39.

Ab omnibus semper suo Autori fuit adscripta*, quælibet etiam illius periodus Joannis Apostoli Stylum apertè redolet. o * Euseb. lib. 3. Hist. c. 19. edit. Christophorson.

De illis tamen verbis, quæ leguntur 677.
c. 5. v. 7. nempe, Tres sunt, qui testimonium

dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt, an verè S. Joannis sint, et ad hujus Epistolæ contextum pertineant, dubium aliquod extitisse, et nunc etiamnum esse debere, contendit Erasmus. Richardus Simonius etiam nihil non movet*, ut horum verborum auctoritatem penitus infringat, atque ex margine, in quo per modum Scholii à librario quodam posita fuisse ait, in ipsum textum ab aliis translata fuisse probet. Sed contra hos ponitur

p * Hist. crit. du Nouveau Testam. lib. 1. c. 18.

Conclusio.

578. Hæc verba c. 5. v. 7. Epistolæ 1.a S. Joannis Apostoli verè illius sunt, et ad ipsum textum pertinent.

Prob. Conclusio 1.a Ex ipso hujus Epistolæ contextu: nam cum vers. 7. dixisset S. Joannes, Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt; statim versum 8. à particulâ copulativa incipit dicens, Et tres sunt, qui testimonium dant in terrâ: Spiritus, et aqua, et sanguis: et hi tres unum sunt. Ad quid autem v. 8. particula Et, nisi quia opponit versum 7. cui opponitur; duo enim hæc extrema Cœlum, et Terra ad se invicem refert, et inter ea comparationem instituit, atque ea sibi invicem opponit. Ergò iste versus 7. est verè S. Joannis, et ad ipsum Epistolæ textum pertinet, aliàs mana, confusa, et perturbata ipsius oratio fluere dici deberet.

Adde, quod vers. 6. dixerat, Jesum venisse in aquâ, sanguine, et Spiritu, qui Spiritus testificatur Christum esse veritatem. Vers. 8. autem ait, tres igitur in terrâ Spiritum nempe, Aquam, et Sanguinem testificari, Christum esse verum hominem, hosque tres

unum esse. At vers. 7. dicit, tres etiam in coelo, videlicet Patrem, Verbum, et Spiritum Sanctum, dare testimonium, Christum verum esse Dei filium, hosque unum esse. Demum vers. 9. hæc duo testimonia terrestre, et cœleste simul jungit, atque inter ea paritatem instituens, ait, testimonium Dei majus esse, quàm hominum ~~hu~~ terrestrium quamvis et istud suscipiendum sit. Si, inquit, testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est. Ergo hic versus 7. ab omnibus, qui judicio et ratione utuntur, velut genuinus, et à S. Joanne conscriptus est admittendus.

679. Ab. 2do. Auctoritate Ecclesiæ, quæ hæc versus 7. hujus Epistolæ verba publicè in sacro Officio legit Dominicâ in Albis. Concilium quoque Tridentinum, dum omnes Scripturæ sacræ libros cum omnibus suis partibus et prout in Ecclesiâ legi consueverunt, necnon in veteri vulgatâ Latinâ Scripturarum editione habentur, suscepit, versum 7. hunc istius Epistolæ una utique suscepit, ut qui in Ecclesiâ legi solitus fuerit, et adhuc soleat, necnon in veteri vulgatâ Scripturarum editione contineatur, adeoque hujus Epistolæ partem constituat.

Annò item 484. teste Victore Vitensi Episcopo* Episcopi Mauritaniæ, et Sardiniæ numero ferè 400. in professione fidei eorum nomine ab Eugenio Carthaginensi Episcopo Hunerico Wandalorum Regi oblata hæc inter alia eloquuntur: Ut adhuc hæc claris unius divinitatis esse cum Patre, et Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur. ait namque, Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo,

9

*Ab. 2. persecut. Afric. provinc.

Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus; et hi Tres unum sunt.

680. Prob. 3tio Auctoritate Veterum Ecclesiæ Patrum, ut S. Cypriani, qui de Patre, inquit*, Filio, et Spiritu Sancto Scriptum est: et hi Tres unum sunt. S. Athanasii, qui in Disputatione contra Arium eadem verba usurpat. S. Hieronymi, qui conqueritur in Proloq. ad Epistolas Canonic. versum hunc ab infidelibus Translatoribus omissum fuisse. Victoris Vitensis, qui 400. Mauritaniæ, et Sardiniæ Episcoporum prius à nobis adductum de hujus versûs veritate testimonium loc. cit. refert. S. Fulgentii, qui totum hunc versum tanquam verè S. Joannis adversus Arianos adduit*, in Respons. ad object. Arian. Cassiodori, qui et hunc versum ex S. Joannis Epist. 1. c. 5. refert, in Summario c. 5. Ep. 1. S. Joan.

* lib. de unit. Eccles.

681. Prob. 4to Ex antiquis Mss. Codicibus tum Græcis tum Latinis, in quibus hic versus legitur. ut in Codice quodam Britannico, cujus ob vetustatem tanta fuit apud Erasmum ~~critica~~ auctoritas, ut versum hunc in præcedentibus suis versionibus omissum, in posterioribus restituerit. In Codicibus, quibus usi sunt Autores editionis Complutensis an. 1517. quo de re hæc ait Cardinalis Ximenes, in Præfat. Maxima laborum pars in eo præcipuè versata fuit, ut castigatissima omni ex parte, vetustissimáque exemplaria, Hebraica, Græca, et Latina pro Archetypis haberemus. In Septem Codicibus, quos Robertus Stephanus ex Italiâ, Galliâ, et Hispaniâ conquisitos in adornandâ suâ Novi Testamenti editione

an. 1550. adhibuit. In Codice Latinô Bibliotheca S. Germani à pratis ante 800. annos sub Lothariô Rege exaratô. In codice Latinô FF. Praedicatorum Parisiensium ante 400. vel 500. annos conscriptô, et emendatô ex Codicibus Mss. jussu Caroli Magni exaratis, ubi etiam ad hunc versum addita est in margine hac nota: Hic corrupti quidam libri Graecorum, ut ait B. Hieronymus, hoc capitulum non habent, quo maximè fides catholica roboratur. In codice antiquissimô Corbejensi, et aliis multis, quos laudant Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri in Galliâ, in annot. ad Prolog. Hieronym. in Epist. Canonicas. In Codicibus, quibus usi sunt veteres, quorum auctoritatem adduximus, Patres. Denique in omnibus ferè Mss. Codicibus, qui à 600. et quod excurrit, annis conscripti fuerunt. Ergo meritò hic versus censetur esse S. Joannis, et ad textum 1ae illius Epistolae pertinere.

Prob. 5tô testimoniô omnium recentiorum Scriptorum Heatholicorum aque ac Catholicorum, qui nostram tuentur sententiam. Ut Erasmus, qui, cùm in priori suâ, ut jam dictum, Novi Testamenti editione hunc versum omisisset, postèa tamen, meliora sapiens, illum restituit. Calvinus, qui illum, quòd, si addatur, filus orationis optimè fluat, atque in emendatioribus, et melioris notae exemplaribus inveniatur, recipiendum decernit, Comment. in Ep. 1. Joan. c. 5. v. 7. Cum sequitur Beza, qui ait*, hunc textum retineri

682.

* Not. in 1. Joan. c. 5. v. 7.

debere, coquòd illius pars sit; et cum ipso omnes Calvinistæ.

Omnes quoque Lutherani, qui in omnibus suis editionibus hunc versum, quem ipsorum Magister Lutherus deleverat, textui ipsius S. Joannis Epistolæ restituerunt, atque velut validissimum argumentum Anti-Trinitariis opposuerunt.

Nihil hic de Scriptoribus Catholicis dicemus, cùm certum sit, omnes versum hunc et S. Joannis esse, et ad textum pertinere tueantur, si unicum Simonium excipiamus, qui hic contra torrentem niti vele videtur, sed profectò frustrà, ita ut non immeritò eidem illud Terentii occinere possit: frustrà niti, et laborando nihil aliud, quàm odium quærere, extremæ dementiæ est.

Solvuntur Objectiones à Simonio contra Conclusionem nostram propositæ.

683. Simonius nihil contra argumentum quod pro nostrâ sententiâ ex ipso Epistolæ S. Joannis textu deduximus, movet; necnon relictâ nobis etiam Ecclesiæ, et Concilii Tridentini autoritate, adducta à nobis Patrum testimonia impetit, atque

Obiicit, seu contendit 1.° S. Cyprianum locò à nobis citatò hæc verba, Et hi tres unum sunt retulisse duntaxat, atque Patri, Filio, et Spiritui Sancto adaptasse ea, quæ in omnibus exemplaribus leguntur circa testimonium Spiritûs, Aquæ, et Sanguinis, de quibus dicitur, Et hi tres unum sunt, atque idcò eum dixisse: De Patre et Filiò, et Spiri-

tu Sancto Scriptum est, et hi tres unum sunt.

Eam suam expositionem fulsit auctoritate Facundi cujusdam Africani Scriptoris, qui istud S. Joannis de Spiritu, Aquâ, et Sanguine testimonium à B. Cypriano de Patre et Filiô, et Spiritu Sanctô dictum intelligi ait.* * Facund. pro defens. Trinit. capit. lib. i. c. 4.

Resp. Nimis specifica et aperta sunt S. Cypriani verba, quam ut in alienum sensum quoquo modô detorqueri possint. S. Cyprianus absolutè et disertè ait, De Patre, et Filiô, et Spiritu Sanctô Scriptum est, et hi tres unum sunt, ubi autem id Scriptum est? Scilicet apud Joannem. Nullus hû ei sermo de testibus terrestribus Aquâ, Sanguine, et Spiritu.

Quod Facundum spectat, bonus ille vir, nequidem legerat S. Cyprianum, ut qui ex ipso Epistolam seu librum de Trinitate citet, in quo ea, quæ memorat, idem scripsisse ait,* cùm tamen hic S. Doctor nullam Epistolam, aut librum de Trinitate scripserit sed Libô de unitate Ecclesiæ duntaxat Trinitatis divinæ unitatem ex adductô Ep. i. S. Joan. c. 5. v. 7. demonstret. Audiverat fortè, vel apud quemdam alium Scriptorem legerat Facundus, S. Cyprianum in quodam opere ex c. 5. Ep. i. S. Joannis quidpiam de Trinitate, et unitate divinâ adduxisse, nec, cùm in hô Scriptura mancô et depravatô exemplari versum 7. c. 5. hujus Epistolæ invenisset, arbitratus est, hunc S. Doctorem illa, quæ de Spiritu, Aquâ, et Sanguine ibidem v. 8. dicuntur, de divinâ Trinitate esse interpretatum, quod falsum esse apertè declarant ipsamet S. Cypriani verba. * apud Simon. Hist. crit. du N. T. l. i. c. 18.

Sane S. Fulgentius Facundô isto et ætate, et auctoritate superior, adductô hoc

1500.

+ cit. loc. capitis 5. versu 7. Epist. hujus hæc subjungit, quod etiam Beatissimus Martyr Cyprianus in Epistolâ de unitate Ecclesiæ testatur dicens: De Patre, et Filio, &c. Disputiat modò Simonius cui magis hic credendum sit; Faundo suo, an S. Fulgentio? Plura adhuc pro vindicandâ hac S. Cypriani sententiâ proferre possemus argumenta, verùm hæc sufficienter ostendunt, quòd hic malam causam agat Simonius.

684. Contendit 2.do S. Athanasium neutiquam versum 7.num cap. 5.ti Ep. 1. S. Joan. in suâ disputatione contra Arium adduxisse sed hæc duntaxat verba: Et hi tres unum sunt. quæ sicut Faundus de illo testatur, Trinitati adaptat.

Resp. Equidem verum est, quòd citatò locò circa finem S. Athanasius ex Ep. 1. S. Joannis hæc duntaxat dicat: Insuper præter ista omnia Joannes dicit: Et hi tres unum sunt. At hæc meridianâ clariùs est, ibi eidem neutiquam sermonem fuisse de versu 8. c. 5. ejusdem Epistolæ, seu de Spiritu, aquâ, et sanguine terrestribus testibus, quos deinde per accommodationem ad tres divinas personas inflecteret; quod nimis sanè frigidum et imbelle argumentum adversùs Arium fuisset, atque ab ipso facili negotiò diluendum; Sed de versu 7. dicit c. 5.ti Ipse enim toto disputationis contextu, et paulò ante adductum S. Joannis testimonium nonnisi de Patre, Filio, et Spiritu Sanctò est sermo, eaque omnia, quæ congesserat, et protulerat cùm ex Veteri, tùm ex Novò Testamentò ad evincendam Trinitatem Divinam, Patrem nempe, Filium, et Spiritum Sanctum, testimonia, hisce velut epiphonemate concludit; In-

501.

super præterita omnia Joannes dicit; Et hi tres, s. Pater scilicet, Filius, et Spiritus Sanctus, hæc enim tria nomina semper inculcat, unum sunt. Male fidei proinde est Simonius, quòd hæc S. Athanasii verba in alienum sensum detorqueat.

Contendit 3.tio Citatum à nobis Prologum in Epistolas Canonicas falsò attribui S. Hieronymo, quod multis rationibus et conjecturis probare nititur. Unde concludit, testimonium, quod ex Prologo illo adduximus, falsò etiam illi adtribi. 685.

Resp. Hunc Prologum tanquam S. Hieronymi inveniri in S. Scripturæ exemplaribus ante 700. et 800. annos, atque in pluribus tempore Caroli Magni editis. Burnetus Anglus etiam testatur*, illum in omnibus, quæ viderat exemplaribus Mss. ut et in Ms. Basileensi contineri. Joannes quoque Oxoniensis Episcopus in Anglia testatur*, hunc Prologum tanquam Hieronymi passim in Mss. et impressis antiquioribus ferè omnibus Codicibus reperiri. Cum verò hujus S. Eulerio Doctoris esse palam fieri videtur ex eo, quòd non modò illius velut Autoris nomen præ se ferat, sed etiam pio illius fœminæ ad quam exaratus est, nempe Eustochium.

* Voyages de Suisse, et d'Italie.

* Not. in Cypr. de Unit. Eccles.

Hæc argumenta, si ita, quæ in contrarium adduxit Simonius, comparentur, æquè fidem faciunt ac sua. Verùm hic in vindicando hoc Prologo non multùm solliciti esse debemus, ut qui antiquiorum Patrum Cypriani videlicet, et Athanasii aperta pro textus nostri veritate ~~[illegible]~~ testimonia habeamus.

Fit etiam Dimonius cit. lib. 1. c. 18. se alibi Victorem Vitensem, et Fulgentium à nobis supra addutos refutaturum, nempe libro 2. sui operis, ubi specialiter de Novi Testamenti Versionibus acturus est. Verùm ne verbulum quidem de istis duobus Scriptoribus memorat. Capriolum quoque ultrò nobis dimittit, quòd nempe nihil habeat, quod adversùs ipsius autoritatem regerat.

686. Objicit 4.to Patres Graecos, Cyrillum, Gregorium Nazianzenum, Chrysostomum, Didymum; et Latinos, Augustinum, Leonem, Bedam, &c. apud quos saepe dictus versus non legitur.

Resp. Id hujus versûs veritati nihil officere, ut quo ex eo confirmetur, quòd his Patribus alii antiquiores illum legerint, ut Cyprianus, Athanasius, &c. Fortè in Codicibus, quibus Patres illi à Dimonio addutis utebantur, deerat, unde nec illum profere poterant. Vel eum in controversiâ positum noverant, unde ne lites accumulare velle viderentur, studiò ab ipsis pretermissus fuit, praesertim cùm alia ipsis ex S. Scripturâ adhuc suppeterent permulta testimonia, et argumenta, quibus adversarios suos retunderent.

687. Ob. 5.to Varios Mss. Codices, in quibus hic versus non legitur.

Sed nos ei multò plures objicimus, in quibus legitur. Dimonii ergo Codices sunt depravati quoad hunc locum, unde etiam argumentum ruit, ipsique cum suis Codicibus Mss. repellendus est.

Verùm quaeret aliquis, quî ergò factum sit, ut versus ille in multis tum Graecis, tum Latinis Codicibus desideretur?

Resp. 1.º Verisimile esse, id factum fuisse transcriptoris seu librarii alicujus vitio, qui cùm textum, atque initium versûs 7. hujus transcriberet, exaratis his verbis, quae nempe sunt illius initium, quoniam tres sunt qui testimonium dant, errante oculô et calamô statim ad versum 8. transivit, atque residuum versûs 7. ex inuriâ praetermisit. Hujusmodi lapsus in similibus casibus haud infrequentes sunt, quorum multa exempla afferunt Patres nostri Benedictini Galli in suis ad Prologum S. Hieronymi in Epistolas Canonicas observationibus; ad quod mancum exemplar deinde plura alia exarata fuerunt, et ad haec adhuc alia, &c. Unde factum, ut in aliquibus Codicibus, in quibus primò versus istô deerat, vel ipsius transcriptoris vel alienâ manu restitutus fuerit, atque vel intra lineam, vel ad marginem collocatus fuerit.

Resp. 2.º Versum hunc fortè ab Arianis in aliquibus Codicibus fuisse ablatum, quem postmodùm librarii sua exemplaria ex iis Codicibus transcribentes omiserunt. Id egisse Arianos testatur Fromundus Theologus Lovaniensis, Comment. in Ep. 1. Joan. c. 5. Hujusmodi autem sacrorum librorum depravatio haud infrequens apud ipsos fuit; eos namque accusat S. Ambrosius, quòd etiam non modò ex suis, sed et ex nostris Codicibus haec verba: quoniam Deus Spiritus est, deleverint. Id etî-

~~504.~~ ~~[illegible]~~ am apertè colligitur ex Prologô Hieronymi in Epistolas Canonicas. Socrates quoque testatur*, Arianos ex c. 4. hujus j.ae S. Joannis Epistolæ versum 2. expunxisse. Hæc de memoratô versu 7. c. 5. et universim de j.ae S. Joannis Epistolâ dicta sufficiant; nunc ad reliquas duas transimus.

a *apud Fromundum loc. cit.

688. Secunda inscripta est ad Matronam quamdam nomine Electam, nisi nomen istud Symbolicè fortassis adhibitum fuerit, ad Ecclesiam alteri Ecclesiæ litteras dantem contegendam.

689. Brevissima est, quippe quæ unicô capite, cujus 13. sunt versus, comprehenditur. Putant aliqui eam commendatitiam fidelium Ecclesiæ cujusdam ad alteram transeuntium: aliquando enim Apostoli, seu Sacri Ecclesiæ Christianæ Scriptores ænigmaticè scribere cogebantur, ne in persecutores infideles inciderent. Verùm de hac conjecturâ sit, quod placuerit.

In eâ Apostolus impugnat Basilidem, ejusque Sectatores, qui tunc temporis docebant, Christum non fuisse verum hominem, sed phantasma, ac proinde eum rei aliquid egisse, aut passum fuisse. Gratulatur Electæ, et filiis ejus, quòd Seductores hos non audiverint, vetatque omnem cum eis communionem, in iis etiamnum rebus, quæ vitam civilem spectant.

699. Tertia ad Cajum scripta est, et unicô etiam capite, cujus 14. sunt versus, concluditur. In eâ Apostolus Cajum laudat, quòd fideles hospitiô excipiat, et ne ab

ineptis desistat hortatur, &c. In ambabus 505.
Joannes se Seniorem appellat, et ab hoc nomine eas orditur dicens Senior, &c. Unde de iis aliquando in Ecclesia dissidium fuit, et etiamnum dubitare videntur Protestantes aliqui, num sint Joannis Apostoli: cum enim Papias apud Eusebium, lib. 3. Hist. c. 33. et Hieronymus, de viris Illust. tradat, duos fuisse, qui Joannes nominarentur unum Apostolum, et alterum, qui Senior dicebatur, atque harum binarum Epistolarum autor non Apostolum dumtaxat, prout jam diximus, sed Seniorem se nuncupet, ipsis verisimile videtur, easdem ab hoc Seniore Joanne, non ab Apostolo fuisse conscriptas.

Sed hac levis dumtaxat est conjectura, 690.
quæ præjudicium nullum afferre potest tot Veterum Patrum, et Conciliorum sententiis, qui has duas Epistolas, et Canonicas, et Joannis Apostoli esse censuerunt. Ponuntur quippe sub hujus Apostoli nomine in Catalogo Scripturarum divinarum ~~sub hujus Apostoli nomine in Catalogo Scripturarum divinarum sub hujus Apostoli nomine~~ à Conciliis Laodicenô, Carthaginensi 3tiô Florentinô, et Tridentinô. Item ab Innocentiô I. Ep. ad Imperium; à Gelasiô I. in Conciliô Romanô 70. Episcoporum; ut et ab Origene, Hom. 7. in Jone; ab Epiphaniô, Hæres. 76. ab Autore Synopsis. à Hieronymô, Epist. ad Paulin. ab Augustinô, lib. 2. De Doct. Chr. c. 8. à Rufinô, In Exposit. Symb. ab Isidorô, lib. 6. Etymolog. à Joanne Damascenô, l. 4. c. 18.

Secunda etiam citatur à S. Cypriano, lib. 2. Sent. Conc. Carthag. Tertia verò à Dionysio, Hierarch. coelest. c. 3.

Ecclesia denique in suis divinis officiis utramque sub nomine Joannis Apostoli legit*.

2. 226

b

* Simon. Hist. Crit. du N. T. l. 1. c. 18.

Jn illis autem Joannes Seniorem seu Presbyterum se nuncupat ob notabilem scilicet ætatis diuturnitatem; vixit enim, prout tradit S. Hieronymus*, usque ad Sexagesimum octavum annum post Passionem Domini, et Ephesi longò Senio confectus, postquam Asiæ Ecclesias fundasset, obiit an. Christ. 100. prout jam suprà ad ipsius Evangelium annotavimus. Omnium porrò consensu in his duabus Epistolis idem idem est Joannes Presbyter, qui et Apostolus, et Evangelista. Quod autem Papias apud Eusebium duos Joannes statuat, Apostolum unum, Seniorem alterum, id verum esse potest, quin tamen se-

c * De vir. Illust. in Joan.

quatur, hunc Earum Epistolarum Autorem esse, quâ de re nihil ait Papias; fortè vario et duplici, quo se nominat Joannes in suis libris, nomine Deceptus Papias, arbitratus est duos fuisse Joannes, cùm tamen tota antiquitas testetur, unicum fuisse Joannem Apostolum, qui Canonica Scripta Eusebio tradiderit.

692 Quo præcisè tempore tres istæ S. Joannis Epistolæ fuerint exaratæ, incertum est, verisimilius videtur, eas Scriptas fuisse post hujus Apostoli ex Insulâ Pathmos reditum paulò ante illius obitum, hoc est annò Chr. 98. nam tum temporis maximè grassabantur Ebionitæ, Cerinthiani, et Basilidiani, ad quos in tribus hisce Epistolis potissimùm respexisse, quósque refutasse videtur Apostolus iste.

De Epistolâ S. Judæ Apostoli.

507. ~~693.~~ 693.

Judas cognomento Thaddæus, sive Lebbæus, et Zelotes, qui et interdum frater Domini appellatur ideo, prout arbitramur, quia B. V. Mariæ Sororis filius, et S. Jacobi Minoris Jerosolymæ Episcopi frater fuerit.

Ad Lybiæ populos eum concionem habuisse refert S. Paulinus, carm. 26. qui etiam hujus Apostoli corpus ibidem quiescere asserit. Juxtà Græcos recentiores Edessa, et omnis Mesopotamia, juxta alios, Judæa etiam, Samaria, Idumæa, Syria, et Armenia, præsertim etiam Persia Judam Evangelii Præconem habuerunt.

Eum martyriò affectum, et conditum in Persiâ Abdias, Fortunatus, Beda, et Latinorum Martyrologia ferunt. Græci verò nonnulli Bergti morte hâ defunctum scribunt: Eorum tamen Menologia, quæ diem 19. Junii Judæ Apostolo sacram habent, sagittis confossum asserunt in Araræ, fortè Armeniæ, in quâ montem Ararat, seu Ararathim Urbem est invenire: Armeni enim veteri traditione fulti eum in suâ regione martyrium subiisse tuentur. Hæc omnia produnt, nihil certi hâ de re haberi. 694.

Unica, eâque brevissima, et unius capitis, quod 25. versus distinguunt, comprehensa extat illius Epistola, quæ in Ecclesiâ habeat auctoritatem. Catholica dicitur, quòd uni peculiari Ecclesiæ, sed omnibus fidelibus à Patre dilectis et à Christo Domino vocatis inscripta sit. 695.

Ex illius v. 17. et 18. ubi Apostolorum Petri et Pauli velut ab ibis, quos alloquitur, satis cognitorum Epistolas adegat*, ut et ex toto illius contextu, omnibus Judæis in Orientis Provinciis Asiâ Minore, et ultrà Jordanem degentibus, qui Christo nomen dederant, Epistolam suam scripsisse

* 2. Pet. c. 3. v. 3.
1. Timoth. c. 4. v. 1.
2. Timoth. c. 3. v. 1.

3
227

colligitur; quos admonet, ut à Pseudo-Doctoribus caveant, à Gnostiis nempè, ut arbitramur, Nicolaïtis, et Simoniaris, qui sanam doctrinam inficientes, Ecclesiam porrò invertere conabantur.

Quo tempore eam scripserit, ignoramus; sanè post Hæreticos illos, quorum meminimus, eam scripsisse debuit. Deinde v. 17. et 18. Apostolos Petrum et Paulum jam ante peremptos numero videtur; præterèa cùm eorum adeget Epistolas post eorum mortem, et circà annum Chr. 66. vel 67. eam abipso scriptam esse censendum videtur, imò, qui eam post Urbis deosolymæ excidium exaratam arbitraretur, fortè non procul à veritate discederet.

696. An Canonica sit, Veteres nonnulli hæserunt, prout referunt Eusebius lib. 3. Hist. c. 25. qui tamen eam suâ ætate à multis fuisse receptam ait; Hieronymus, de vir. Illust. c. 4. Et Amphilochius, Carm. ad Seleuc. Paucos ex Veteribus idius mentionem fecisse testatur idem Eusebius, lib. 2. Hist. c. 23. circa finem, ubi, verumtamen, inquit, eam in plurimis Ecclesiis publicè lectitari cognovimus.

Idam autem idcirò à nonnullis hæsisse ait Hieronymus*, quòd Auctor eò* libri Henoch, seu illius saltem Prophetiæ meminerit, et de Moyse quædam referat, quorum in Canonicis Veteris Instrumenti libris nullum extat vestigium; quare ex quodam apocryphò opere, quod Moysis Assumptio inscribitur, deprompta censuerunt. De eâ quoque non modò dubitavit Lutherus, sed et solitò sibi furore illam penitùs rejecit.

* loc. cit. in Judâ
* v. 14.
* v. 9.

697. Verùm hæ tanti momenti Concilia, et Patribus visa non fuêre, quin eam divinis scripturis adnumerarent. Eam quippe velut Canonicam recensent Concilia Laodicenum, Carthaginense 3tium, Florentinum, et Tridentinum. Item

Innocentius I. Ep. ad Exup. et Gelasius I. in Concilio 70. Episcoporum. 509.

Inter veteres Patres, quos supra part. i. c. 5. recensuimus, eam Canonicam consent Epiphanius, Hæres. 76. Augustinus, lib. 2. de Doct. Christ. Ruffinus, in expos. Symb. Isidorus, lib. 6. Etymolog. c. 1. Damascenus, lib. 4. c. 18. citatur etiam velut Judæ Apostoli à Dionysio, de divin. nomin. c. 4.

Eam proinde suscipiunt universim omnes omnes Orientis atque, ac Occidentis Ecclesiæ. Protestantes quoque, et Unitarii eam inter reliquos Novi Testamenti libros Canonicos collocarunt. Et quamvis eam rejecerit Lutherus, tamen ipsius Discipuli, et Sectatores, procul ut eam rejiciant, omnimodè Magistri sui in eam furorem mitigare adlaborant*. Calvinus quoque idem cæteris Canonicis Epistolis ascendam vult, cæterùm, inquit, illius lectio sit summopere utilis, nihilque contineat, quod doctrinæ Apostolicæ conforme non sit, necnon à longò jam tempore ab omnibus probis velut Canonica fuerit habita.

* Simon Hist. Crit. du N. T. l. 1. c. 18.

* Arg. comment. in Ep. Judæ.

Quæ verò in suâ Epistolâ tum de Henoch tum de Moyse protulit Judas Apostolus, aliundè quàm à libris apocryphis habere, vel saltem Spiritu sanctò docente ex iis libris vera à commentitiis secernere potuit; nam et in apocryphis libris aliquid veri invenitur, hóque dum Judas protulit, non tamen totum librum approbasse dicendus est, inquiunt S. Hieronymus, in c. 1. Ep. ad Titum; et S. Augustinus, lib. 15. de civ. c. 23. et lib. 18. c. 38. Profectò S. Paulus Act. 17. 1. Cor. c. 15. et ad Tit. c. 1. profert testimonia ex Ethnicis Poëtis Arato, Menandro, et Epimenide; quis autem propterea 598.

228

diat, S. Paulum horum Poëtarum libros conservare voluisse?

Pseudo-Evangelium aliquod, quod olim sub Judæ Apostoli nomine circumferebatur, Gelasius Pontifex reprobavit.

Caput Quartum.

694. ## De libro Apocalypsis.

Apocalypsis latinè Revelatio, quo nomine inscribitur liber revelationum S. Joannis Apostoli, et Evangelistæ, in Insulâ Pathmos, quò jussu Domitiani Imperatoris relegatus fuerat, eo tempore, quod inter annos Christi 95. et 97. intercessit, ab eodem exaratus fuit; Unicus Novi Testamenti liber Propheticus, in quo videlicet futura prædicuntur.

In 22. Capita distribuitur, quorum priora tria instituendis Episcopis septem Ecclesiarum Ephesi, Smirnæ, Pergami, Thiatyræ, Sardorum, Philadelphiæ, et Laodiciæ adhibentur. Quindecim, quæ proximè sequuntur, persecutiones Ecclesiæ exhibent, sive à Judæis, sive ab Hæreticis, sive tandem ab Imperatoribus Romanis, ac potissimùm à Diocletianô, et Maximianô, Galeriô Maximô, Severô, Maxentiô, Maximinô, Liciniô, et Julianô Apostatâ tolerandas. Exinde describitur ultio Dei in persecutores, in Imperium, urbémque Romanam, quæ Babylonis insignis prostitutæ septem collibus insidentis nomine designatur. Quatuor tandem reliqua Capita triumphum continent, quem Ecclesia de hostibus postèa retulit; ipsius cum agnô nuptias, ac tandem Ecclesiæ triumphantis felicitatem.

Pro. Hujus Libri Autorem fuisse Corinthum hæresiarcham, qui et ipse fictas revela-

tiones conscripserat, Cajus Romanæ Ecclesiæ 511.
Sacerdos, qui sub Zephyrinô Papâ Cæpenta secundô Ecclesiæ Sæculô floruit, autumasse videtur K
apud Eusebium*; quam et quoque etiam * lib. 3. Hist. c. 28.
nonnullorum hujus ævi Scriptorum opinionem esse tradit S. Dionysius Alexandrinus apud eum- C
dem Eusebium*. Ubi equidem Apocalypsim ve- * lib. 7. Hist. c. 25.
lut librum verè divinô Spiritu afflante conscriptum defendit, sed Joanni Apostolo abjudicare, atque alii cuidam Joanni adscribere videtur præsertim ob diversum illius à cæteris hujus Apostoli operibus Stylum.

Hæretici, quos Epiphanius Hæres. 51. et 54. Alogianos, et Theodotianos vocat, Marcionis et Cerdonis Sectatores, librum hunc respuebant, quemadmodum et Ultimis Temporibus nostris Lutherus.

Ratum autem Ecclesiæ Catholicæ Judicium est, hunc Librum et Canonicum esse, 701
et à S. Joanne conscriptum. Enumerô à Conciliô Ancyranô, quod celebratum dicitur an. Chr. 314. Canone ult. citatur Apocalypsis m
tanquam Joannis Apostoli, et divinus liber* * Tom. 1. Conc. p. 275.
Item in Carthaginensi 3tiô can. 47. In Conciliô Romanô sub Gelasiô I. an. 495. celebratô. In Conciliô Toletanô 4tô an. 633. can. 16. Omnes quoque Orientales Ecclesiæ idem sub nomine S. Joannis Apostoli legunt.

Quamplurimi etiam SS. Patres Græci 702.
æquè ac Latini eum agnoscunt. In Græcis quidem Justinus in Dialogô cum Triphone Apocalypsim dicit esse Joannis Apostoli; quam etiam, teste S. Hieronymô*, commentariis illustravit: quod et de S. Irenæô, qui et hunc librum Sanctô Joanni Apostolo adscribit*, idem testatur S. Hieronymus. Dionysius, lib. n * De Vir. Illust. o * lib. 5. circa finem.

Hierarch. Eccles. c. 3. Apocalypsim vocat arcanam et mysticam visionem dilecti Discipuli. Theophilus Antiochenus, Melito Sardensis, et Dionysius Alexandrinus supra laudatis, Antiquissimi, et doctissimi Patres Apocalypsim tanquam librum divinitus inspiratum susceperunt, teste Eusebio, l. 4. Hist. c. 24. et lib. 7. c. 25. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pedag. c. 12. Apocalypsim, ut librum divinum citat. Origenes, Hom. 7. in Josue, Apocalypsim Joanni Apostolo vindicat, ut et Eusebius in Chronic. ad an. Dni 96. Autor Synopsis. Epiphanius, Hæres. 51. et 76. Chrysostomus, Hom. 3. in Psal. 91. et Damascenus lib. 4. c. 18. Apocalypsim ut sacram, et Joannis agnoscunt.

* Hic S. Pater tamen Apocalypsim Joanni Apostolo abjudicat, quamvis eam divinam esse tractat. vid. inf. ad object. 3.am et 4.tam

703. Latini verò communi consensu librum istum et Canonicum, et Joannis Apostoli esse tuentur. Tertullianus, lib. 4. cont. Marion. eum Joannis esse affirmat. Cyprianus, lib. de exhortat. Martyrii c. 3. 8. 10. et 11. Apocalypsim sicut reliquas divinas Scripturas citat, quemadmodum et Hilarius, Præf. in Psalm. Ambrosius eum Joannis Evangelistæ esse dicit, in Psal. 40. Augustinus ait, Apocalypsim ejusdem esse Joannis, cujus est Evangelium, Tract. 36. in Joan. Et lib. 2. de Doct. Chr. c. 8. eum inter sacros libros refert. Idem præstat Innocentius I. Ep. ad Exup. Ruffinus, in exposit. Symb. et Isidorus, lib. 6. Etym. c. 1. Hieronymus, Ep. ad Paulin. docet, eum esse Joannis Apostoli; et Ep. ad Dardan. scribit, hanc esse omnium Latinorum sententiam. Denique Sulpitius, Hist. Sac. lib. 2. ait, Apocalypsim à nonnullis aut stultè, aut impiè non recipi.

704 Eam quoque velut librum divinum et à Joanne Apostolo conscriptum suscipiunt om-

nes Scriptores tam Catholici, quam Acatholici sive §. 13.
Protestantes, ut Calvinista, quorum permulti in
eam commentati sunt. Illusque autoritatem
contra Erasmum tuetur Beza, in not. ad Apocalyp.

Sovinus Unitariorum Antesignanus, de 705.
auct. Script. S. c. 1. n. 2. ait, eam Joanni Apostolo
et Evangelistae semper communi consensu adscrip-
tam fuisse; nec officere, quod aliqui hac de re
dubitaverint; his enim Autoribus praferendum
esse judicium Justini, et Irenei, qui exiguo post
editum hunc librum scilicet tempore vixerunt.

Lutherani quoque hunc librum tanquam 706.
divinum, et Canonicum agnoscunt, in quo Ma-
gistrum suum, qui idem penitus rejecit deserunt.
Sed ipsum tamen excusare conantur; Lutherum
quod attinet, inquit Kortholius, de Canone Script.
Sac. c. 18. quidquid olim scripserit in veteri praefa-
tione, in ea sane, quae hodie in codicibus legitur,
nihil de Apocalypsi asserit aliud, quam in dubio se
relinquere, utrum sit Joannis Apostoli, quod
nonnulli ex vetustioribus Patribus insinuati
sint, nihil tamen hoc ipso se praejudicare vel de
aliis.

Perpaucorum ergo opinio, qui vel hujus 707.
libri non meminerunt, vel an Joannis Apostoli
esset, dubitare visi sunt, non utique obesse
potest his Conciliorum, Patrum, universa-
lis Ecclesiae Latinae, et Graecae, imo Doctorum
omnium, et Scriptorum etiam Acatholicorum
testimoniis, et autoritatibus, qui librum hunc
et divinum, et Canonicum esse unanimiter tuen-
tur, et merito quidem, ut pote cujus divinitas
vel praedictarum in eo rerum eventu jam dudum
comprobata fuit; quamvis multa adhuc conti-
neat, quorum completionem expectamus, quae
suo quoque tempore certo sunt eventura.

Solvuntur Objectiones.

708 Ob. 1º c. 1. et ult. libri hujus dicitur: Beatus, qui servat verba Prophetiæ hujus. At qui nemo fuit, qui sibi vellit hac Prophetia. Ergò ineptè Beatus pronuntiatur, qui eam servaverit p. adeoque liber iste inter Apocryphos rejiciendus est. Ita Lutherus.

Resp. neg. min. Eo quidem, quo Joannes scripsit, tempore, ac etiammum subsequentibus, id est, usque ad tempora Constantini Magni, Apocalypsis fuit obscurissima, prout sunt omnes libri Prophetici ante rerum in iis prædictarum eventum; at verò nunc, si historiam persecutionum Ecclesiæ consulamus, pleraque plana in eâ inveniemus; cætera, quæ fortè adhuc obscura videntur, suò etiam tempore clara fient.

Primo Cypr. pag. 233.

709 Ob. 2do Modestiæ Joannis Apostoli indecorum est, quòd passim nomen suum inculcet, cùm alioqui modestiora de se narrans in Evangeliò, nomen suum nusquam exprimat. Ergò non est Auctor hujus libri. Ita Erasmus.

Resp. neg. ant. Certè Joannes Apostolus hic non tam crebrò nomen suum inculcat, ut inde quidquam ipsius modestiæ detrahi possit, enimverò ter duntaxat in toto libro hæc verba leguntur, Ego Joannes. Novum non est in Prophetis, quòd sæpè nomen suum repetant. Profectò Daniel ad minimum octies in suò libro hæc verba repetit, Ego Daniel.

710. Ob. 3tio Joannes Evangelista multibi in aliis suis operibus nomen suum adscribit, ne quidem in suis Epistolis. At verò hic frequenter, statimque in ipso libri exordiò; item initio Epistolæ ad septem Ecclesias scriptæ, c. 1. v. 4. Ergò hic liber non videtur esse Joannis Apostoli. Ita Dionysius Alexandrinus, apud Eusebium, lib. 7. Hist. c. 25.

Resp. Hic Prophetarum more scripsit Joannes, at Prophetæ ubique in suis libris nomen suum adscribere solent: Unde nihil obest, quòd in aliis suis Scriptis nomen suum omiserit. Nec nostrum est inquirere, cur hic solùm, et non alibi illud apposuerit; satis est, quòd tota antiquitas librum hunc ei adscripserit. Cæterùm hoc argumentum potiùs probaret, reliquos ejusdem Apostoli libros non esse ipsius, quàm hunc ei adscribi non debere, ut qui nomen ejus pluries referat. §15.

Ob. 4.to Multùm differt Stylus libri hujus à Stylô cæterorum S. Joannis Apostoli librorum: In istis summa elegantia se prodit, ille verò barbarismis, ac interdum Solœcismis inquinatus est. Ergò diversus est illius, et istorum Auctor. Ita idem Dionysius, it. loc. 711.

Resp. Hæc Styli varietas non obfuit, quin Dionysiô antiquiores Patres, Justinus videlicet, et Irenæus librum hunc Joanni Apostolo attribuerint. Id hic ad summum evinci potest, Joannem dictasse librum hunc ut potè merè propheticum non cum pari studiô, meditatione, et mentis attentione, ac reliquos conscripsisse, nec adeò elegantem verborum compositionem, et stylum conquisivisse ac in cæteris suis operibus; id autem minimè obest, quin liber ipsi adscribi debeat.

Ob. 5.to In Græcis codicibus libro huic non præfigitur Joannis Apostoli nomen, sed Joannis Theologi. Ergò non est Apostoli, sed alterius cujusdam Joannis, qui sibi Theologi nomen adscriverit. 712.

Resp. Illi, qui hoc objiciunt, non fortè animadvertunt, mirum apud Patres Græcos

fuisse Joannem, qui Theologi cognomen habuerit, præter Apostolum, et Evangelistam Joannem; et meritò quidem, nam, ut S. Augustinus notat*, ideò Joannes volanti aquilæ comparatur, alii verò Evangelistæ animalium in terrâ gradientium symbola referunt, quia cæteri de humanitate Christi, ipse verò de illius divinitate præcipuè scripsit. Unde Dionysius, vulgò Areopagita dictus, Epistolâ ad Joannem eum Theologum, et Apostolum salutat; et Autor Synopsis, aliique veteres, præsertim Græci, ut jam dictum, eum Theologum nuncupant.

* Tract. 36. in Joan.

231

234

713. Ob. 6.to Hujus libri c. 7. v. 4. Dum recensetur Signatorum electorum numerus, dicitur, Audivi numerum Signatorum, centum quadraginta quatuor millia Signati, ex omni Tribu filiorum Israël. Et tamen nulli referuntur ex Tribu Dan, nulli etiam ex Tribu Ephraim. Ergò p.

Resp. Verè ex omni Tribu Signatos referri; sed quia non ita multi sunt futuri ex Tribu Dan, cùm plerique ex illâ Antichristo qui de Tribu hâc orietur, adhæsuri sunt, ideò ipsa hic omittitur, prout tenet communis Patrum. Nec omittitur Tribus Ephraim, quæ quia amplior, et nobilior præ Tribu Manasse, licet seniore est, ut potè Regalis, per Antonomasiam, nomine Patris hic Joseph nominatur.

714. Ob. 7.mo Hujus libri Autor c. 20. ait, Sanctos cum Christo mille annis regnaturos. Atqui hæc ansam præbuerunt Millenariorum Hæresi à Concilis, SS. Patribus olim damnatæ, cujus Autor fuisse dicitur Cerinthus, et cui etiam liber iste à Cajo Romano Ecclesiæ Sacerdote

supra memoratô propterea meritò adscribitur. Ergo nec Joannis Apostoli, nec divinus censendus est.

Respondet Flacius Illyricus Lutheri Sectator, et Centuriatorum Magdeburgensium primipilus, Arg. in Apocalypsim, quòd, cùm liber iste stylô prophetico scriptus sit, expressionibus ipsius sensus mysticus tribui debeat. Phrases illæ mysticæ, ut in sermone prophetico sunt intelligendæ, inquit. De alio ergò quàm Hæreticorum Millenariorum super terram regnô intelligenda sunt ea, quæ Apostolus citatô c. 20. prædicit, nempe de cœlorum regnô, in quo sancti cum Christô usque ad extremum judicii diem regnaturi sunt, adquod proinde omnes corpora sua reassumentes, velut demùm resurcituri sunt, prout mox memoratô cap. 20. declarat Apostolus: vox autem mille prophetico sensu longissimam durationem significat. Cæterum longe ante Flacium Illyricum, Dionysius Alexandrinus asseruerat*, librum hunc non posse intelligi justa obvium verborum sensum.

* apud Euseb. lib. 7. Hist. c. 25.

Ob. 8vo. Ibid. c. 22. v. 11. dicitur: Qui noceat, noceat adhuc: et qui in sordibus est, sordescat adhuc. Ergò suadet hîc peccatum hujus libri Autor. 715.

Resp. Hîc istud duntaxat significatur, Deum nempe, quemque hominem, pium et impium suæ permittere libertati, et relinquere in manu consilii sui, quasi diceret: Qui noceat, et injurius est proximo suo, noceat adhuc suâ utens libertate, non impedio: sed quo magis nocebit sæpe, eò magis et punietur; ideo è contrà, qui justus est, justificetur adhuc, ita ut, sicut ille impiè agendo, suum demeri-

tum auget, iste, piè agendo, sua merita augeat; quia, ut ibidem legitur, v. 12. Ecce venio citò, inquit Deus, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua. Prædicit ergo tantùm ea quæ ventura sunt Apostolus Stylô Prophetis usitatô, non verò mala suadet.

716. Cæterùm præter hanc S. Joannis Apostoli Apocalypsim, aliarum adhuc Veteres meminerunt, quæ tamen apocryphæ omnes ab Ecclesiâ censentur.

De Apocalypsi Petri librô apocryphô agunt Eusebius, lib. 3. Hist. c. 3. et Hieronymus, In catalog. Script. Eccles. Eam laudavit Clemens Alexandrinus, lib. Hypotyp. apud Euseb. lib. 6. Hist. c. 14. Nostris temporibus omninò interiit. Refert Dodonemus, lib. 7. Hist. c. 19. eam adhuc suâ ætate in Ecclesiis Palestinæ legi consuevisse feriâ 6ta Parasceves, cùm universus populus in memoriam Passionis Jesu Christi jejunium servaret.

De Apocalypsi S. Pauli tanquam apocryphô codice agunt Epiphanius, Hæres. 18. c. 38. et Augustinus, Tract. 98. in Joan. Eo librô utebantur Gnostici, quem ea omnia exhibere dicebant, quæ Paulus in raptu viderat, ac ineffabilia esse, 1. Cor. c. 12. v. 4. scripserat. Nec Hæretici tantùm, sed plures Monachi, ut refert Dodonemus, locô supra citatô, mira de opere isto prædicabant, jactitantes, illud divinâ revelatione tempore Theodosii primùm innotuisse, cùm antèa Tharsi in domo S. Pauli in arcâ marmoreâ sub terrâ reconditum latuisset; quod tamen meram fabulam ab Hæreticis confictam esse, idem Dodonemus ex relatione Cilicis Sacerdotis Tharsensis viri jam senio confecti prodit.

232

235

De Apocalypsi Cerinthi agit Theodoretus lib. 2. Hæretic. fabul. c. 3. Inea Hæresiarcha hic, nescio quid de regno mille annorum, ac de voluptatibus sensualibus, quibus toto eo tempore Viri Sancti Hierosolymis essent fruituri, commiscebatur, eaque se à Deo didicisse jactitabat. Unde factum, ut, quod alibi jam memoravimus, nonnulli ex vetustioribus Patribus S. Joannis Apocalypsim Cerintho adscripserint, fortè eo decepti, quòd in illâ mille annorum regni Christi cum Sanctis suis mentio fiat, eoque libro plurimum abuteretur iste Hæresiarcha, atque præsertim ab hoc Joannis Apostoli de regno Christi cum Sanctis suis vaticinio fabulosum et brutum regnum suum transcripsisse atque secundum genium suum transtulisse videretur. Verum, ut in responsione ad 7mam objectionem dicimus, regnum illud Christi intelligendum est de regno Coelorum p. 519.

S. Thomæ Apocalypsim non aliunde novimus, quàm ex Decreto Gelasii Papæ I. illam inter apocrypha recensentis. Apocalypsim quoque aliam abeâ, quam huic Apostolo asseruimus, Viennæ Austriæ in Bibliothecâ Cæsareâ Ms. asservari testatur Lambecius Leopoldi Magni Imperatoris olim Bibliothecarius, Cod. 119. Biblioth. fol. 108. 236

Finis

520.
717.

Alles dieses, was folget, soll nur solches, und nicht gar zu stehen.

Brevis Dissertatio
De Excellentiâ, Dignitate, Necessitate, et ratione Studii Sacrarum Scripturarum

Recitata 12. Maji 1745. cùm subsequentes Theses ex eodem Tractatu selectæ publicæ Disputationi exponerentur in publicô Rmi Dni Abbatis et RR. PP. Ettonianorum Consessu.

Quatuor menses effluêre, cùm sub gratissimis, et jucundis Reverendissimo, ac perquam gratiosæ Amplitudinis tuæ, necnon Plm RR. Paternitatum vestrarum auspiciis Studii nostri Theologici initium consecravimus. Parsne, atque nostrâ, æquè ac vestrâ interesse arbitramur, ut hujus Studii nostri specimen aliquod modô edamus, atque quantum in illo profecerimus, vobis, ac præsertim Rmo ac Illustri Amplitudini tuæ exhibeamus. Superior nostræ, muneris ergo tui ratio postulare videtur, ut noscas, quis sit Studiorum nostrorum profectus; Nos subditi tui sumus, inde, ut illorum tibi reddamus rationem, officium itidem nostrum exigit. Qui ut faciamus satis, Selectas hasce ex Tractatu de S. Scripturâ non modô inter locos Theologicos, à quibus Theologiam nostram nos auspicaturos nuper ad promisimus, sed et inter omnes cæteros, qui in Sacrâ Theologiâ traduntur, primô et præcipuô, Theses publicæ Disputationi

neuon Rmo ac Ampl.ma Dnoi tuo, ut et Elm. R.R. Paternitatum vrarum judicio in præsentiarum exponimus.

Inter cæteros, quos Sacra Theologia complectitur, Tractatus primum ac præcipuum illum, qui de S. Scriptura est, nunc panus, nec immeritò sanè: Nullum quippè, si dignitatem spectemus, augustius, nullum, si utilitatem consideremus, magis necessarium in hac sacrâ palæstrâ, ac S. Scripturæ Studium.

S. Scriptura, inquit S. Gregorius Magnus, est veluti Epistola quædam à Deo hominibus scripta; eam ergo summâ cum reverentiâ evolvere, omnia illius verba, et sententias sedulò expendere debemus, ut potè quibus Dei voluntas amplè nobis innotescit. et qui id facere contemnunt, non modò gravis negligentiæ, sed enormis cujusdam criminis reos se constituunt. Profectò, sunt verba S. Bernardi, lectio, et meditatio Sacræ Scripturæ sunt caracter prædestinationis; nam qui ex Deō est, inquit ipse Christus, verbum Dei audit.

Et verò quonam lectio gratior et jucundior esse possit? Non est aliud sanum, et verum gaudium, ait S. Augustinus, quàm quod spe nascitur, et spe regni cœlestis magis, quàm omnis alterius rei, cujus mysteria S. Scriptura nobis revelat, viam docet, quæ dum à nobis teritur, mille occultas delicias in corde effundit, juxta illud, quod ait Apostolus, spem nostram magis firmam reddi per patien-

tiam, et consolationem, quam ex Scriptu-
râ Sacrâ haurimus.

Quodnam porrò Studium Theolo-
go magis necessarium? Quis enim nesciat,
scribebat olim ad nos Amus Augustinus
Calmet Abbas Senoniensis, omnes sacræ
Theologiæ assertiones Sacrorum librorum
auctoritate, veluti basi, et fundamentô,
niti debere? vehementer profectò fallun-
tur ii, qui omissâ, aut neglectâ Scrip-
turæ divinæ Scientiâ firmô, et inoffensô
pede sese in hac Sacrâ Theologiæ palestrâ
exercere posse confidunt. Imò sine
Sacra Scriptura Studiô nec cathedræ stant,
nec pulpita; sine illo vaga, et vana est
omnis disputatio, insulsa omnis concio,
insipida de divinis colloquia: Sine illius
adminiculô nec tutô instruas proximum,
nec sine periculô conveniras cum hæreticis,
cum politicis, cum Judæis, cum Maho-
metanis, cum Atheis.

Hæc cùm seriò apud nos revolvere-
mus, omni mentis contentione ad sa-
crum istud, et adeò augustum, necessa-
riumque Sacræ Scripturæ Studium nos-
tras intendimus vires, eo quidem huc spe,
ut pro temporis, quod nobis suppetivit,
angustiâ, ea circa S. Scripturam nostra-
tasse arbitremur, quæ Theologiæ candi-
datis scitu necessaria nobis visa fuêre,
et quorum adminiculô se adversis quos-
cunque fidei nostræ hac in parte hostes
tueri, atque plenam, quantum nempe
humana permittit imbecillitas, Sacra-

rum litterarum intelligentiam assequi facilè possint.

Et ne quis fortè arbitretur, hæc à nobis perperam, et ad faciendum duntaxat suum à nobis proferri, operæ pretium duximus, priusquam Disputationem ipsam ingrediamur, paucis exponere, qua ratione, et modò nostrum de S. Scripturâ, ejusdemque auctoritate ~~tra-~~ ~~dicam~~ instituerimus Tractatum.

Illum igitur in duas partes distinximus; in quarum primâ de S. Scripturâ generatim tractavimus, nempe quid ipsa sit, et quinam illius libri; de illius veritate, et integritate, necnon auctoritate; de modò, quo à Spiritu Sanctò Sacris illius Scriptoribus inspirata fuit; de illius Canone, obscuritate, et multiplici sensu, necnon de variis illius editionibus, et versionibus. In secundâ verò singillatim omnes illius libros exposuimus, et examinavimus; illorum historiam, et chronologiam teximus, auctorésque et Scriptores ~~illorum~~ stabilivimus; necnon ea omnia, quæ adversùs illorum veritatem, et auctoritatem sive ab hæreticis, sive ab aliis quibusamque opponuntur, eâ, quâ potuimus, claritate, et solidità̧te confutavimus, ac dilluimus.

Hæc Tractatûs nostri de S. Scripturâ, et ejus auctoritate ratio, unde, ne veluti ad pompam comparati, verborum

numerò, et farragine quadam summè venerandum, et amplissimum auditorium nostrum obruere vele videremur, paucas hasce, quas graviores, et plausibiliores reputavimus, excerpere, ac publicæ Disputationi in præsentiarum exponere nobis placuit Theses. Faveta.

Was Was folgt muß nicht gedruckt werden

325.
~~319~~ 229.
718.

Theses Selectæ
Ex Tractatu de S. Scripturâ et ejus Autoritate.

1.

Sacræ Scripturæ nomine intelligimus librum Spiritu Sanctô inspirante, et velut dictante, conscriptum, quo continetur doctrina, et Verbum Dei hominibus propositum. Hinc S. Scriptura benè definitur, Verbum Dei Scriptum.

2.

Scriptura Sacra sic definita duplex est, Vetus scilicet, et Nova. Illa Vetus Testamentum, hæc Novum Testamentum nuncupatur. Vetus Testamentum illos Sacræ Scripturæ libros continet, qui ante Christi adventum conscripti, et vulgati fuerunt, sùntque quadraginta quinque. Novum verò Testamentum eos Sacros libros complectitur, qui post ejusdem Servatoris nostri in cœlos ascensionem conscripti ab Apostolis, et Evangelistis fuêre; sùntque viginti septem.

3.

Nullum ergò dubium, quin hi sacri ~~libri~~ Scripturæ libri sint divino autoritatis, ut potè qui divinitus Sacris Scriptoribus inspirati Deum auctorem suum prodant.

4.

Eâ autem ratione Sacros hos libros à Spiritu Sanctô Scriptoribus sacris inspiratos, et dictatos fuisse tuemur, ut ipsi res ~~eorum~~ ipsas, quæ conscribendæ erant,

illarúmque Sensum iis expressum semper quidem inspiraverit; at verba, quibus res illæ fuerunt expressæ, eorúmque compositionem, et Stylum non semper suggesserit; sed meditationi, diligentia, et ingenio Sacrorum Scriptorum interdum reliquerit.

5.

Inter varios S. Scripturæ Canones, qui olim circumferebantur, et etiammum modò circumferuntur, solus ille tenendus est, quem Ecclesia Catholica statuit; et quo universim septuaginta duo Sacrarum Litterarum libri, quadraginta quinque scilicet Veteris, et viginti septem Novi Testamenti continentur. Ad eam quippe solam spectat, Sacrorum horum librorum catalogum texere, seu Canonem definire.

6.

Quamobrem immeritò, et temere nostri Ævi Acatholici quidam à Sacrarum Scripturarum numerò rejiciendos putant libros Tobiæ, Judith, Esther, Machabæorum primum, et secundum, Sapientiæ, Ecclesiastici, Epistolas S. Pauli ad Hebræos, et S. Jacobi Apostoli.

7.

Contemnendus quoque Richardus Simonius, qui ex capite quintò Epistolæ primæ S. Joannis Apostoli istud de Sanctissimâ Trinitate testimonium,

527.

Tres sunt, qui dant testimonium in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt, expungendum censet, atque Sancti Joannis esse negat.

8.

Ridendi autem sunt Acatholici, quod Sacram Scripturam claram ubique, et perspicuam esse prædicent; cùm tamen eam legenti illicò sit apertum, ipsam plerumque obscuram esse, et intellectu difficilem, neenon in varium sensum trahi posse.

9.

Unde germani, et genuini ~~[illegible]~~ S. Scripturæ sensûs Judex infallibilis sola Ecclesia catholica statui debet.

10.

Inter Sacræ Scripturæ græcas versiones præcipuam auctoritatem obtinet ea, quæ Septuaginta Interpretum nomen præ se fert; quamvis historiam, quæ de eadem sub nomine Aristæ cujusdam olim vulgata fuit figmentum esse non improbabiliter censeri posse arbitremur.

11.

Inter Latinas verò ejusdem S. Scripturæ editiones præcipuum sibi vindicat locum Vulgata nostra, quam jure, et meritò Synodus Tridentina præ cæteris authenticam declaravit.

O. A. M. D. G.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST